

Georg Gottfried Keuffel

Disqvisitio Theologica De Causis Corruptæ Theologiæ

Rostochii: Apud Georg. Ludov. Fritsch, Anno MDCCXXIV

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1675672695>

Druck Freier  Zugang




de cunctis corruptis et theologiac

Ff - 5988

Gebunden bei
R. Fuchs
Hof- u. Universitäts-
Buchbinder

Universitäts-
Bibliothek
Rostock



buff II
363/33
buff II

DISQUISITIO THEOLOGICA
DE
CAUSIS
CORRUPTÆ
THEOLOGICÆ

AUCTORE
GEORGIO GODOFREDO KEUFFEL.



ROSTOCHII,
Apud GEORG. LUDOV. FRITSCH,
Anno MDCCXXIV.

Faint handwritten notes and a blue stamp are visible at the bottom of the page.

DISPOSITIO THEOLOGICA
C A U S I S
CORRUPTAE
THEOLOGICAE

DUCTORE
GEORGIO GODOFREDO KEUFFEL



R O S T O C H I I
Apud GEORG. HUDOV. FRITZSCH
ANNO MDCCXXIX

1533 III. 60-

id, quod tanti illorum intererat ut purum atque intemeratum maneret. Hinc mirum videri poterat accidisse progressu temporis, ut delibaretur de puritate divinæ doctrinæ, utque ea errorum quibusdam afficeretur maculis. Nihilominus res apud omnes qui veritatem amant in confesso est, & annales Ecclesiæ de corrupta superiorum seculorum Theologia abunde testantur. Imo optabile foret, ut hoc nostro demum seculo inter omnes ab omnibus fordibus esset repurgata, eique integritati, qua primum annunciata tuit, esset restituta; sed vel omnium consensu varii inter varios circa eam adhuc deprehenduntur defectus & nævi. His igitur ita sese habentibus, pronum sane est & ad naturam ipsam proclive, inquirere quibus ex causis corruptiones istæ profluxerint, nec arbitror illam investigationem pro inutili esse habendam. Si enim ex mente Horatii

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima
Stultitia caruisse,

non erit pro nihilo reputandum ad caute se gerendum in studio Theologiæ, ut sciamus, quibus in rebus ab aliis fuerit peccatum, & unde superiores illæ corruptiones, quæ in Theologiam illatæ sunt, originem duxerint. Faciunt enim plerumque aliena pericula cautum, nec facilior via est ab erroribus sibi cavendi, quam si in aliis illos deprehendamus. Imo, & hæc singularis utilitas ex hac causarum investigatione speranda, quod sic fundamenta ipsa errorum subruuntur, quo facto, omnia illis superstructa, sua sponte concidunt. Quibus & illud accedit, quod primæ aberrationes plerumque sunt manifestio-

festiores, & quod illis indicatis, homines facilius in re-
ctam viam se revocari patiuntur. Optandum itaque fu-
isset, ut Vir quidam & eruditione & prudentia singu-
lari præditus hoc argumentum sibi sumisset pertra-
ctandum, nullum enim est dubium, quin talis labor
magnum Ecclesiæ emolumentum allaturus fuisset. Et
quanquam non ignoro, multa exstare eruditissimo-
rum Virorum scripta, in quibus data occasione de re-
bus huc pertinentibus solide egerunt, imo plurimas il-
larum peculiaribus scriptis ab aliis esse pertractatas, ne-
mo tamen est, quantum ego quidem scio, qui id sibi
sumserit, ut has causas in unum colligeret, atque sic
conjunctim exhiberet. Cœpi igitur horas meas subse-
civas his tribuere meditationibus, incensus inprimis
exemplo Celeberrimi quondam Viri Lud. Vivis, cujus
libros de Causis Corr. Art. cum magna eruditorum ap-
probatione exceptos fuisse videbam. Arbitrabar enim
commode circa Theologiam fieri posse, quod ille cir-
ca artes tentasset, quamvis cæteroquin non adeo de-
mens sim, ut me ullo modo cum tanto Viro compa-
rare ausim. Contingebat tamen ut & institutum me-
um, & ipsa illius pertractatio non displiceret Viris in-
genio & eruditione præstantibus, qua appellatione re-
spicio tum ad Rev. Theologorum ordinem in Acade-
mia Rostochiensis, tum inprimis ad Magn. & Celeberr.
DN. WEIDENERUM, quorum Virorum benevola ap-
probatio & lima quibusdam in locis adhibita, facile me
inducebat, ut non dubitarem opellam hanc publici juris
facere. Forte adhuc quorundam incurret censuram,
argumentum enim est quodammodo invidiosum, ne-
que tantus eruditionis apparatus adhibitus, qui ani-
mos

mos lectorum sibi conciliare possit; quædam, quod
inter relegendum vidi, non satis commode expressa,
quædam non satis illustrata, quod inprimis circa Cap.
V. desiderari posse videtur. Sed quicquid hujus sit,
spero tamen adductorum aliquem usum fore in agno-
scendis quibusdam non exigui momenti veritatibus;
atque sic inter ipsos defectus aliquam superfuturam esse
utilitatem. Accipe igitur H. L. benevole exiguam
hanc opellam, meisque conatibus
fave.





ΣΥΝΟΨΙΣ PROLEGOMENORUM.

§. I. Status generis humani, quoad religionem, ubi §. II. asseritur, *solum* CHRISTIANAM esse veram. & §. III. damnatur ATHEISMUS. §. IV. PAGANISMUS & MUHAMMEDANISMUS. §. V. NATURALISMUS item & JUDAISMUS hodiernus. §. VI. & VII. probatur *Veritas* Religionis Christianæ. Ac §. IIX. inde concluditur, *debuisset* eam feruari incorruptam. §. IX. Quod, ut curarent, fuisset in primis officium *Doctorum* Ecclesiæ. §. X. Sed fuit tamen *corrupta*, §. XI. & quidem a *fu- is membris*, §. XII. præcipue

Pontifice Romano, & Doctoribus *medii ævi*. Disquiritur ibi de *Patribus* primorum seculorum, & §. XIII. & XIV. *caute* hic incedendum docetur; Fuerunt namque homines, quales nos sumus. §. XV. Non fuerunt immunes ab *erroribus*, quod condonandum humanæ conditioni. Cur *DEus* id permiserit? §. XVI. Posterioribus seculis corruptio fuit *aucta*, ut reformatione LUTHERI opus esset, §. XVII. Datur *hodiernum* corrupta Theologia. §. XIIX. formatur status Controversiæ. §. XIX. Quid fit Theologia *Corrupta*? quid *Causa*? & sic §. XX. *Scopus* tractationis submittitur.

A

PROLE-

PROLEGOMENA.

Genus humanum universum, si secundum varias, quas de religione fovet sententias, consideretur, in VI. potissimum Classes dispesci posse & solere, notum est. Una est ATHEORUM, sive maleferiatorum istorum hominum, qui, dum sibi ipsis suæque conscientiae ausu nefario vim inferunt, istamque de DEO notitiam, quam hominum mentibus innatam, & vere inscriptam ipsi Gentiles agnoverunt, quantum in ipsis est, delere nituntur, nullam omnino habent religionem, quia nullum, quæ summa insania est, credunt, aut credere potius volunt DEUM. Secunda Classis est NATURALISTARUM, qui solum sequi volunt naturæ lumen, ideoque nullam admittunt revelationem. Accipimus autem vocabulum *Naturalium* ea significatione, ut & puræ Theologiæ naturali, & Pelagianismo, & Naturalismo crassissimo Jul. Cæs. Vanini & B. Spinozæ, qui ipsè Atheismus est, contradistinguatur. Tertia est GENTILIUM, qui ob neglectum usum virium rationis, & rudera Juris Naturæ absonam plane habent religionem, traditi nempe in mentem omnis judicii expertem, ut colerent quæ non decet, & facerent quæ minime conveniunt. Quarta est MUHAMMEDANORUM, Sec. demum VII. ex Muhammedis, & quorundam ipsius sociorum miris commentis efficta. Quinta est JUDÆORUM, qui primam verbi revelati partem, Vetus Testamentum, tanquam unicam fidei normam interspersis horridis suis traditionibus, sequuntur, Christum autem Messiam in mundum venisse negant, in quo à recto veritatis tramite longissime aberrant. Sexta & ultima est CHRISTIANORUM, qui Jesum Nazarenum credunt esse Messiam, & Salvatorem totius humani generis, ex cujus merito & satisfactione, omnibus, qui in eum credunt, DEI gratia concilietur, & post hanc vitam, æterna & beatissima in cælis destinetur vita.

§. II. De diversis hisce hominum circa religionem opinionibus notandum, quod etiam multi eruditissimi Viri dudum demonstrarunt, solam RELIGIONEM CHRISTIANAM

NAM esse veram, summoque DEI beneficio, generi humano cœlitus datam, ut miseris mortalibus monstraret viam, ad summum bonum, veramque felicitatem perveniendi. Reliquæ autem, etsi non omnes eodem loco habendæ, sed una quodammodo melior sit altera, ita tamen omnes sunt comparatæ; ut falsitatis rectissime arguantur, quod tribus saltem verbis monstrare liceat.

§. III. Ad ATHEISMUM igitur quod attinet, in numerum religionum is penitus referri nequit, cum omnem Numinis sensum & timorem ex animis hominum extirpatum eat, & ad tempus conscientiæ stimulos enervatos, frustra tamen opinatur ac docet: oportuit tamen ejus injicere mentionem inter classes, quibus status hominum quoad religionem absolvitur, quia quorundam improbitatem eò processisse constat. Facile autem apparet, quid de eo sit judicandum, cum & rationi humanæ & notitiæ innatæ, & consensui gentium contrarietur?

§. IV. Inter religiones autem, quas ita appellare licet, duæ ineptæ prorsus ac falsæ. PAGANISMUS puta, propter cultum creaturarum, nulla mente præditarum, veluti astrorum, brutorum animantium, idolorum item ex lapidibus aut ligno factorum, imo earum rerum, quæ substantiæ non sunt, hinc & a vero Deo prorsus sunt alieni Gentiles. MUHAMMEDANISMUS autem, ob multa quæ Deo adscribit indigna, plurimæque alia plane ridicula, quale illud, de lecto Salomonis, trium miliarium longo, quem duos Angelos portasse dicunt, & ut passeris vererentur, alis umbram fecisse Salomoni; ne quid dicam de Paradiso eorum, voluptatibus corporeis pleno, deque mulierum gregibus, unicuique assignandis, aliisque stultitiis & mendaciis *Alcorani*, a peritis harum rerum animadversis, quæ talia sunt, ut mentem egerasse credendus sit, qui eis fidem adhibere vellet, præsertim, quos lux Evangelii circumfulget.

§. V. Duæ aliæ sunt veræ quidem illæ suo modo, sed certo respectu tamen falsæ & ad salutem spiritualem ac æternam non sufficientes, NATURALISTARUM nempe (sum-

ta hac voce, eo sensu, quo supra §. I. ostendimus, ut eos denotet, qui sola ratione duce, salutem se adepturos putant.) præsertim, propter ignorantiam modum reconciliandi Deum offensum, sola enim penitentia debita nostra non solvit. JUDAICA autem hodierna, ob rejectum Messiam, quem nec hodie blasphemare desistit, ob multitudinem item superstitionum detestabilis est, ut Lutherus saepe in proverbio dixerit: 9 Ruhe haben nicht so viel Haare, als ein Jude Uberglauben.

§. VI. Ostensis itaque iis, qui circa reliquas religiones occurrunt, defectibus, primum jam est, CHRISTIANÆ præ iis præstantiam & indubitatam Veritatem demonstrare. Sive enim facta, quibus veritas illius innititur, confideres, tot tantisque sunt comprobata testimoniis eadem, ut nemo eis fidem denegare possit; sive *dogmata* expendas, nihil illis excellentius, utpote quæ non consistit in ceremoniis, in se neque bonis neque malis, sed Deum pura mente venerandum docet, eumque non ut judicem aut severum Dominum, sed tanquam benignum Patrem in Christo conciliatum describit, ideoque fiduciam filialem in eum gignit. Ast longum nimis foret agere velle de singulis fidei Articulis, & post illos etiam peculiariter qua statum Sanctificationis, de puritate cordis, quam præscribit, de cupiditatum refrenatione, de affectuum regimine, de Spiritu Sancto, quem fidelium cordibus inhabitaturum spondet, de officiis humanitatis proximo exhibendis, de contemptu rerum terrenarum, de omnibus denique, quæ vel ad Dei cultum, vel sanctitatem morum, vel officia a nobis præstanda pertinent, quibus nihil excogitari potest admirabilius.

§. VII. Si porro ad AUCTOREM respiciamus, non is homo aliquis, qui & fallere & falli potuit, aut cui forte quadam fuerint ignorata; sed ipse Deus, Deique filius, summa veritas & sapientia, qui omne consilium Dei de nostra salute nobis & patefacere potuit, & patefecit. Nullus ergo error hic metuendus, nulla suspicio deceptionis. Si denique *præmiorum* excellentiam nobis proponamus, non hic bona

bona terrestria quorum dubia admodum est possessio, neque ejusmodi quid, quod fragile, caducum & aliquando interiturum sit, promittitur, sed vita æterna, omnibus felicitatibus circumfluens, sine doloribus ac molestiis. Quibus omnibus probe expensis fatendum cum HUG. GROTIÛ. de *V. R. C.* l. 2. §. 8. *Aut omnis omnino Dei cultus repudiandus est, quod nunquam ei in mentem veniet, qui & Deum esse, & curare res conditas credit, & hominem consideret tum in intellectu eximio, tum vi electricæ boni mali-que moralis preditum ac proinde ut præmii, ita & pœna in ipso esse materiam: aut hæc admittenda religio, non tantum ob factorum testimonia, verum etiam ob ea qua religioni sunt intrinseca: cum nulla ex omnibus sæculis ac nationibus proferri possit, aut premio excellentior aut præceptis perfectior, aut modo, quo propagari jussa est, admirabilior.*

§. VIII. Quæ cum ita sint, erat omnino eorum, qui religionem hæc amplectebantur ut eam ab omni macula atque labe puram & integram conservarent, suisque posteris ita traderent. Quod ita assecuti fuissent, si non solum contra adversariorum corruptelas eam defenderent, sed etiam in ea tradenda, adhibitis omnibus subsidiis, debitaque attentione & diligentia, proscriptionisque omnibus affectibus, unice ad ejus præscriptum sua exigere, neque ultra id, quod scriptum erat, sapere voluissent. Videlicet intererat totius humani generis, ut quam doctrinam a cœlesti Doctore ad salutem consequendam acceperant, ea semper illibata maneret.

§. IX. Inprimis vero ad eos, qui *Episcopi & Doctores* in Ecclesia constituti erant, pertinebat, ut veritati conservandæ omni studio invigilarent, & fideles se præberent dispensatores mysteriorum divinorum, imo, quantum in se erat, providerent, ne ulla corruptionis macula aspergeretur. Nihil enim tam periculosum, quam in religione falli, & si in scientiis humanis labi turpe ducimus, in religione fere exitiale putemus.

§. X. Docuit tamen experientia, & res minime est obscura, eam statim ab initio tentari cœptam, & corruptelæ progressu temporis majores sumsisse vires, pluraque semper

religioni admixta inutilia ac rejicienda. Quod enim egregie dicit LUDOVICUS VIVES. *de Causis Corr. Art. lib. 1.* Non potest quicquam a multis contraheri, cui non aliquid vitii adhaereat, tanquam ex contagio, hic certe, quod vehementer dolendum, contigit, & quæ in sua origine erat purissima religio, quo longius ab ea recessit, eò fere magis inquinari cœpit.

§. XI. Neque tamen est, quod quisquam existimet, a professis Christiani nominis hostibus mala hæc suborta, qui potius, si res accuratius pensitetur, plus ad illius commoda, quam detrimentum contulerunt. Sed ii ipsi, qui *membra Ecclesie* aut erant, aut certe videri volebant, contra sanctissimam matrem insurrexere, & multa ei mala conciliarunt. Imo, quod pejus quidem, sed non minus verum, ipsi *Antistites* & rectores Ecclesiarum, a quibus alia omnia expectari debebant, non possunt liberari a culpa corruptæ Theologiæ.

§. XII. De eo, qui se summum Christi vicarium in terris, atque Ecclesiæ caput esse jactat, *Pontifice* puta *Romano*, res inter nostrates est extra controversiam, ut & de *mediæ ævi doctoribus*, quos haud difficulter largiuntur, miris modis contaminasse Theologiam. De *Patribus* vero primorum seculorum adhuc sub iudice lis est, & non Pontificios solum, sed & complures Protestantium male admodum habuit, fuisse qui non dubitarent affirmare, multa ab iis commissa, in quibus a puritate doctrinæ sit deviatum. Hi interim, ne temere Patres infimulasse viderentur, conati sunt ex ipsis eorum scriptis allegare exempla, quibus ob oculos ponerent falsas illorum argumentationes, ignorantiam artis ratiocinandi, bonæque methodi explicandi Scripturam sacram, vitia item voluntatis, pravosque affectus, unde in Theologiam haud levia irrepsisse incommoda contendunt.

§. XIII. Nos omnino caute hic incedendum putamus, ne aut *nimis* Patribus tribuamus, quasi cæci eorum admiratores, neve *nimis* eis derogemus, ita in alterum extremum ruentes. Homines certe fuerunt, nec magis infallibiles, quam quili-

quilibet nostri avi Theologus, unde nec asserta eorum pluris facienda quam hodierna: nihil enim interesse ad veritatem arbitror, ante aliquot secula aliquod dictum sit, hodieve dicatur. Sicuti autem nemo hodie sine summa impudentia sibi sumferit, ut, quicquid ab eo dictum fuerit, verum promiscue reputetur, ita de Patribus, cujuscunque tandem avi sint, idem judicium feramus, superat enim conditionem humanam esse infallibilem, & eorum tantum prerogativa est, qui immediate a Spiritu divino collustrati fuerunt.

§. XIV. Arbitror ea quæ dixi, fatis sibi constare, nec a quoquam negatum iri. Sponte ergo sua inde sequitur, si Patres priorum seculorum non magis illuminati fuerunt, quam posteriorum & errare potuisse, & dicta eorum non pro meritis oraculis habenda. Accedit quod ii ipsi, qui vel maxime Patres defendendos susceperunt, nullo idoneo argumento demonstrare potuerint, illis plus esse tribuendum, quam sequentium seculorum hominibus. Iniquum autem est postulare, cujus non habemus causam sufficientem. Cæterum illi, quorum fides non nititur auctoritate humana & Patrum, nihil periclitantur, etiamsi concedant, humani nihil a Patribus alienum fuisse.

§. XV. His itaque præsuppositis arbitror, exempla ex Patrum scriptis collecta ostendere quidem, eos non omnino ab erroribus fuisse immunes, sed interdum hallucinatos, minime tamen ideo dicimus, eos fuisse *Corruptores Theologiæ*. Condonandum enim aliquid humanæ conditioni, & ii demum, qui errores graves propugnarunt, aliisque obruferunt, pro Corruptoribus Theologiæ proprie habendi. Cur autem DEus permiserit, ut primi Ecclesiæ Doctores non essent omnibus numeris absoluti, ejus non contemnendam dedit rationem. JOH. CLERICUS. *Bibl. Choise. tom. IV. p. 359.*
Au deça des Apôtres on ne trouve rien que de fort mediocre, & de fort confus, dans cette premiere origine du Christianisme, afin qu'on ne peut dire dans les siècles à venir, qu'il se trouva alors des Esprits capables de former une religion telle, qu'est la Chretienne, & de supposer des li-

des livres à ses premiers auteurs; puisqu'on ne vit rien après eux, qui approchat de leurs écrits. Non seulement les chefs des autres sectes, qui s'éleverent alors, mais encore ceux, qui firent profession de ne suivre que les Apôtres n'approcherent pas de la manière d'écrire de ces saints hommes. Cependant dans cette manière d'écrire il y a tant de simplicité & de naïveté, s'il faut ainsi parler, que l'on voit aussi très clairement par là, qu'ils ne sont pas eux mêmes les inventeurs de ce qu'ils nous disent, mais qu'ils étoient redevables de tout ce qu'ils savoient à Jésus Christ, & à l'Esprit, qu'ils en avoient reçu.

§. XVI. Atque hæc paulo uberius disputare libuit de primis, quos vocant, religionis Christianæ propagatoribus; neque veremur aliquid posuisse aut a veritate alienum, aut quod cujusquam animum jure offendere possit. Si ad sequentia seculâ deveniamus, nemo potest ignorare, majores semper corruptionem sumfisse vires & fere universam inundasse Ecclesiam, adeo ut ingenti illa reformatione opus fuerit, quam LUTHERUS divino ausu suscepit, quaque illud effectum est, ne veritas cælestis, quæ densissimis errorum tenebris jamdiu immergi cæperat, penitus obumbraretur, sed priorem potius splendorem recuperaret. Quam luctuosa enim ante ea tempora Ecclesiæ facies fuerit, adeo notum est, ut probatione non egeat; & quomodo veteribus semper erroribus novi fuerint additi satis evincunt *catalogi illi errorum*, a præstantissimis viris conscripti, in quibus anni fere nominari potuerunt, quibus præcipui errores introduci & credi cæpti sunt, luculento satis indicio, quantopere Ecclesia illis temporibus fuerit corrupta.

§. XVII. *Nostra* denique tempora si consideremus, licet prioribus multo sint feliciora, in multis tamen atque inter multos adhuc corrupta est Theologia. Non enim solum in Romana Ecclesia maxima pars errorum, qui olim viguerunt, viget, sed & orbis Christianus in varias proh dolor! sectas divisus, qui in maximi momenti capitibus a se invicem dissident. Et cui ignotæ sunt lites atque contentiones, quæ inter Christianos quotidie aguntur? Cum autem una tantum sit veritas, necesse est, ut

est, ut altera dissentientium pars in errore versetur, unde non opus est ut multis probemus, dari *hodiernum* corruptam Theologiam.

§. XIIX. Qui vero toties jam mentionem fecimus *Theologia corrupta*, neque dum, quid hoc nomine nobis velimus, exposuimus, tempus esse arbitramur, ut mentem nostram paulò accuratius hac de re proponamus. Quando igitur Theologiam dicimus *corruptam*, distinguimus inter Theologiam, & ipsam religionem Christianam. Hujus enim dogmata, sacris litteris comprehensa, & a viris divino Spiritu collustratis nobis tradita, *aque* sunt pura & incorrupta, ac in ipsa origine fuerunt, quandoquidem divina providentia ita huic invigilavit libro, ut ne in minima quidem re potuerit corrumpi aut depravari. Est etiam alio respectu Theologia *integra*, quatenus Ecclesia est Catholica & universalis, & omnes fidei articulos vere & sine defectu conservavit, quamvis huc illuc sparsos & disseminatos. De his igitur non agimus.

§. XIX. Intelligimus autem per *Theologiam corruptam*, omnes errores, falsas opiniones & dogmata divinæ veritati contraria, quæ tamen pro veris habita, & cum pertinacia defensa fuerunt, adeoque vel aliquod doctrinæ cælestis caput defædarunt, vel saltem veritatem vehementius oppugnarunt. Per *Causas* intelligimus eas res, quæ verum & realem habere possunt influxum, ad Corruptionem Theologiæ inferendam. Distinguimus eas in Naturales & Morales. *Naturales* sunt, quæ ex constitutione naturali facultatum mentis humanæ immediate fluunt, & eis velut subjecto inhaerent, integritatem doctrinæ Christianæ corrumpentes; eoque referimus non solum intellectum, sed & voluntatem, imo phantasiam & affectus. *Causæ Morales* sunt, quæ mediate demum ex corruptione naturæ humanæ originem ducunt, & vel vitiosum aliquod institutum moremve, vel certam temporum conditionem, aut ejusmodi quid præsupponunt.

§. XX. Non audemus quidem polliceri, nos egregii aliquid aut perfecti daturos, & argumentum pro dignitate

gnitate pertracturos, ad quod majori ingenio & eruditione opus fore videmus; nihilo tamen secius speramus, levem quoque adumbrationem non omni utilitate carituram. Eleganter LUD. VIVES. in *Pref. librr. de Disciplinis*: Quid excogitari utilius potest, quam homines a tenebris ad ejus lucis intuitum transferre, quam intueri adeo refert omnium, ut sine illa perpetuo sumus futuri miserimi, & si qui maligne se eam suspicabantur videre, planius & apertius conspiciant, atq; illo modo, quo se clarissime putent cernere. Nec inter prima studia erroribus imbuti, mox religionem illis contaminemus, sed ab exordio statim rectis sanisq; persuasionibus assuescamus, qua paulatim nobiscum adolescant. Hic enim scopus est hujus suscepti laboris, ut patefactis causis, unde multae in Theologiam fluxerunt corruptiones, homines & defectus ipsos eo planius inspiciant, fonte vitioso indicato, sibi que a lapsu eo facilius cavere discant, vitando causas, quas ad corrumpendam Theologiam aliquid contulisse intelligent. *DEus autem ipse dirigat omnia in sanctissimi sui Nominis gloriam, & sane doctrinae incrementum!*

ARGUMENTUM.

CAP. I.

§. I. *Primaria Causa Corruptæ Theologiæ est peccatum Originis*, §. II. & *amissio imaginis divinæ*. §. III. *Conditio intellectus secundum naturam*. §. IV. *Vitium intellectus in prima operatione*. §. V. *Applicatio ad Theologiam*. §. VI. *Reliqua intellectus vitia in prima operatione*. §. VII. VIII. IX. *Applicatio ad Theologiam*. §. X. *Vitia intellectus in secunda mentis operatione*. §. XI. *Applicatio*. §. XII. & XIII. *Vitia intellectus in tertia operatione, cum applicatione ad Theologiam*. §. XIV. *Inprimis homines peccarunt vel nimis intellectui tribuendo, vel nimis ei derogando*. §. XV. *SCEPTICISMUS corrumpit Theologiam*. §. XVI. *Facit homines miseros*. §. XVII. *INDIFFERENTISMUS habet varias species. Particularis est hujus*

hujus loci. §. XIII. XIX. XX. XXI. Probatur quod *corrumptat* Theologiam. §. XXII. RATIONALISMUS est vel *Crassus*, vel *subtilis*. §. XXIII. *Corrumptit* Theologiam. §. XXIV. De *Ufu* rationis in Theologia dissentiunt eruditi. §. XXV. Magnus est *rationis usus* in natu-

ralibus. §. XXVI. In divinis *ratio est caeca*. §. XXVII. Est tamen *medium cognitionis*, nec pugnat cum revelatione. §. XXIIIX. Verus usus est *organicus*. §. XXIX. Solvitur *Objectio*. §. XXX. Principia rationis possunt *adhiberi* in Theologia.

CAP. I.

De Peccato Originali, & hinc profluente ineptitudine hominum ad cognoscenda ea, quæ sunt Spiritus DEI, quatenus exinde corrumpitur Theologia.

§. I.

E Numeraturum igitur *Causas Corruptæ Theologiæ*, & primo quidem loco *Naturales*, ante omnia agere oportet de *peccato originali*, quod suo præcipuo quodam jure hic in censum venire debet. Quod enim omnium malorum, quibus miseri mortales circumdati sunt, fons est, unde & omnes pravitates, tanquam ex scaturigine quadam propullulant, id certe causis *Corruptæ Theologiæ* etiam adnumerari debet.

§. II. Hoc ut eo luculentius pateat, in memoriam hic revocandum, quod nemo inter Christianos ignorare potest, homini ad imaginem divinam creato, inter alias perfectiones collatam fuisse *Sapientiam*, seu donum quoddam eximium, ad cognoscendas res divinas atque humanas; eam autem per lapsum primorum parentum una cum reliquis perfectionibus esse amissam, adeoque omnes homines, in eo, quo nunc sunt statu & conditione, necessario hocce dono esse

destitutos. Simulac enim homo comederat de fructu vetitæ arboris, quem desiderabilem credebat ad habendum intelligentiam, aperuerunt se oculi ipsius, & agnovit se esse nudum, & amisisse excellentissima illa mentis ac corporis dona, a DEO ipfi concreata.

§. III. Ipsa hæc nuditas, quam primi parentes in se deprehenderunt, ad omnes posteros est propagata, & per naturalem generationem nobis congenita. Nudi enim sumus a perfectionibus animæ primitivis, atque utinam omnes id satis agnoscerent! De eo autem, in quo nunc versamur statu, testatur Scriptura sacra, quod simus *σκοτισμένοι*, *obscurati*, Eph. 4, 18. imo ipsum *σκότος*, Eph. 5, 8. cæci proinde in spiritualibus. Sicuti enim oculi corporis, tenebris circumfusi nihil vident, nec videre possunt, ita & mentis nostræ acies tenebris involuta, in rebus divinis nihil omnino valet. Pertinent huc etiam verba 1. Cor. 2, 14. ubi Apostolus *ψυχικός* inquit *ἄνθρωπος*, *homo animalis*, sive homo, secundum eam quam ex nativitate sua habet, indolem confideratus, *ὃ δὲ χεῖλαι*, *non capit*, non intelligit neque percipit ea, *quæ sunt Spiritus DEI*. Sed gravius est, quod addit: *μωροὶ* *stultitia enim ipsi est*, & *non potest cognoscere*. Quid quæso clarius dici potuisset, ad declarandam mentis nostræ, intellectusque humani cæcitatem in rebus divinis & spiritualibus? quibus etiam verbis clare satis, ut arbitror, evincitur, id quod probare institueram, peccatum originale, & quæ inde rursus originem habet imbecillitas & horrida corruptio virium rationis humanæ *primam & fundamentalem esse causam Corruptæ Theologiæ*.

§. IV. Non inutile forte erit ad intimiorem totius rei considerationem cognitionemque, in subsidium hic paulisper vocata Philosophia, paucis agere de vitiis & imbecillitatibus, quæ circa singulas intellectus operationes observari solent, ita tamen ut semper ad earum in Theologiam influxum respiciatur. *In prima igitur operatione intellectus, quæ circa*

circa idearum apprehensionem versatur, merito ceu gravissimum intellectus vitium animadvertitur *pronus ipsius ad res corporeas facilius sibi representandas, quam spirituales*, qua fit, ut dum de divinis etiam rebus homines cogitant, haud raro corporearum rerum imagines intellectui presentes se sistant.

§. V. Ex hoc, ni fallor, intellectus vitio si non provenit, certe confirmatus est error ille *Paganismi*, quo suos, quos colebant Deos, sub variis figuris ac formis sensibus subjiciebant, conceptus adeo sibi formantes, non solum Deo minime convenientes, sed plane etiam indignos. *Mutaverunt enim gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & reptilium.* Rom. 1. 23. Nec obscure Apostolus illam hujus rei causam esse innuit, quod *vani facti erant in ratiocinationibus suis, cumque se dicitarent sapientes, revera tamen stulti essent*, h. e. non aliunde quam ex vitio intellectus non emendati Gentilium hujus rei originem esse derivandam. Et ne Judæi hunc Gentilium morem imitarentur, visum Deo fuit, primo statim Decalogi præcepto, populo suo interdiceret, *ne sibi facerent sculptile aut ullam imaginem* Exod. XX. 4.

§. VI. Solent porro Philosophi ad vitia & imbecillitates intellectus in prima operatione referre *angustiam cognitionis*, sive quod scientia hominum tam arctis circumscripta sit limitibus, ut eruditissimi quoque fateri necesse habeant: *Quantum est quod nescimus!* Eodem pertinet idearum *obscuritas & confusio*, quando non satis, quicquid in iis est, perspicimus: *inadequata item perceptio*, quando rem non secundum omnes, sed secundum aliquos tantum sui partes cognoscimus: denique *error* seu falsa idea, quando rem aliter, ac revera est, percipimus.

§. VII. Nostrum jam est dispicere, num, & qua ratione hæ imperfectiones in Theologia occurrant? quod de singulis sine labore ostendi potest. Non capit ratio finita *Deum infinitum & immensum*, sed velut vastissimo cuidam mari immersam se sentit, in quo quanto plus conatur, tanto mi-

nus efficit, sicut SIMONIDI, quanto diutius considerabat, tanto res videbatur obscurior. Et quis est, qui verba ad propositum hocce caput, non invita veritate dirigens & applicans, cum Apostolo non agnoscat *profunditatem tum sapientio tum cognitionis Dei? quam inscrutabilia sunt ejus iudicia, & ejus via imperæstigibiles! quis enim cognovit mentem Domini.* Rom. XI. 33. quibus verbis angustia cognitionis humanæ, ut in admirabili acceptatione Gentium, ita in divinis promiscue omnibus emphatice describitur. Ad *obscuritatem idearum*, quod attinet, idem ille, quem modo citavi, Apostolus Paulus I Cor. XIII. 12. Cernimus, inquit, *δι' ἐσόπτρου ἐν ἀνίγνωσι*, per speculum in ænigmate. Sicut autem in ænigmatibus multis involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur res in eis contenta, ita & in spiritalibus, non sine admixta obscuritate, quæ nobis revelata sunt, cognoscimus.

§. VIII. Quod etiam conceptus, quos de rebus divinis formamus, non semper exhauriant naturam objectorum, adeoque in omnibus non sint *adaquati*, ostendunt mysteria, quæ omnem rationem & captum longe superant, & ipsa objectorum conditio, velut excellentia perfectionum divinarum, aliorumq; quæ non nisi per analogiam interdum comprehendimus, & denique dubitare nos non sinunt verba Pauli I Cor. XIII. quibus nos *ἐκ μέρους* tantum cognoscere disertè docet. De *falsis* denique ideis si quæramus, num & in spiritalibus locum habeant? fatendum certe, lucem intellectus sibi relicti non nisi malignam esse, & sine illuminatione Spiritus sancti nos non nisi falsas rerum divinarum recipere ideas. Et quis audeat negare, piis etiam & fidelibus accidere posse, ut errent in re minus fundamentali, nemo enim in terris *ἀναμαρτῆτος*.

§. IX. Speciatim circa *falsas ideas* egregie a quibusdam observatum est, deprehendi in intellectu pronitatem quandam, ad ejusmodi sibi semper ideas representandas, quæ *cupiditatibus hominis* quam maxime sint conformes, ita, ut pro diversitate temperamentorum homines ad certas ideas sint proclives. Sic qui sunt difficiles & morosi, absolutam reprobationem a per-

fectio-

fectionibus divinis non alienam forte censebunt, ut contra qui miti & misericordi animo sunt, divinam misericordiam eousque extendent, ut diabolis atque damnatis eam aliquando tributum iri, libenter sibi persuadeant. MUHAMEDES, de quo memoria proditum, quod robusto fuerit corpore, & voluptatibus corporeis deditus, gaudia vitæ futuræ in voluptate posuit. Forte & inter Christianos, in subsidium advocata diversitate temperamenti, alii ad gaudia, alii ad gloriam, alii ad abundantiam vitæ æternæ magis attendunt. Solet etiam in censum venire *ratio studiorum*, secundum quam conceptus de rebus divinis identidem variant: sed nimis longum foret omnia prosequi, quæ saltem indicasse sufficiat.

§. X. Progredior ad *secundam mentis operationem*, in qua non minor ineptitudo intellectus in *judiciis falsis atque erroneis* se prodit. Duplici autem potissimum modo hic peccatur. Interdum in *comparatione* duarum idearum miscentur, quæ separanda erant, vel separantur, quæ natura sua erant conjuncta: interdum ideis arctiorem vel ampliorem significationem damus, quam natura objectorum, quorum ideæ imagines sunt, permittit, id quod fieri potest tum in meditando, tum in scribendo, tum in legendo. Utrumque horum modorum cognitioni veritatis contrariari, vix quisquam dubitare potest. Veritas enim, quæ in convenientia nostrarum idearum, cum natura objecti, quod consideramus, consistit, ibi certe esse non potest, ubi in alia omnia itur, & quæ affirmanda erant, dividuntur, aut contra quæ neganda erant, componuntur. Pari itidem ratione in veritatem peccat, qui plus aut minus de ideis affirmat vel negat, quam in se continent.

§. XI. Quæret fortasse quispiam, num & in Theologiam ista *falsorum iudiciorum* genera, de quibus agimus, sint illata? Cui liceat respondere verbis CICERONIS, paulo ad institutum nostrum accommodatis: *Pleni omnes sunt libri, plenæ Theologorum voces, plena exemplorum vetustas, quæ, qui scrutari opera pretium ducet, plura forte quam optabile erat, hujus rei* exem-

exempla inveniet. Frustra igitur foret multis probare, quod omnes lubentes fatentur.

§ XII. Ut ad *tertiam mentis operationem* nunc deveniam, sine hæsitatione affirmare licebit, *ratiociniorum* quoque gravissimam in rebus sacris esse corruptionem. Accidit enim hic, quod fere semper, ut vitia, quæ menti secundum naturam insunt, Theologicis studiis sese admisceant. *Heretici* e. g. alique qui veritatem oppugnarunt, sæpiissime sophismatibus & falsis argumentationibus usi sunt, ut ignorantibus fucum facerent, & erroneas suas opiniones ipsis probarent. Et si credere volumus, quod certe veritati consentaneum est, multos eorum, qui falsas olim foverunt, & adhuc foveant doctrinas, ideo erroribus se implicasse, quod in regulas recta rationis impeggerant, non alio opus est argumento ad probandum id quod proposuimus, ex falsis argumentationibus ortos esse errores, & sententias veritati diviniæ contrarias.

§. XIII. Præterea circa argumentationes velut gravissimum incommodum merito observatur, quod vitia, in prioribus mentis operationibus commissa, eis fundamenti quasi loco *substernantur*, adeoque ab errore eo difficilius hic sibi caveatur, quam in reliquis, quo facilius & occultius malum serpit. Si enim semel idea vel male, apprehensa, vel male cum alia communicata, quo postea rectius argumentamur, eo gravius nosmet ipsos errori immergimus. Accedit determinatio ad mala, & pronitas, ad omnia potius alia expendenda, quam quæ sunt ex Deo, ex quibus omnibus manifestum fit, minime eos falli. qui magnam partem corruptelarum in Theologia, ab *imperfektionibus* intellectus, tanquam ex fonte derivandam esse putant. Et quemadmodum olim CICERO se nescire dicebat, quomodo nihil tam absurde dici possit, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum; ita in religione Christiana nihil fere tam falsum dici potest, quod corruptus hominum intellectus non in scenam produxerit.

§. XIV. Si historiam *controversiarum*, quæ in Theologia agitatae sunt, in memoriam revocare placet, videbimus dupli-

duplicis generis esse vitia, quæ mortales circa usum intellectus in rebus sacris commiserunt. Alii enim viribus ejus ad cognoscendam veritatem *diffisi*, vel nihil certi sciri posse existimarunt, vel veritatem adeo flocci fecerunt, ut quicquid tandem crederetur, perinde putarent, in *Scepticismum* ita, & religionum *Indifferentismum* prolapsi. Alii contra fuerunt, qui *nimis* tribuerunt suis viribus, ipsamque Scripturam & verbum Dei ad rationis normam exigere non dubitarunt, unde *Rationalismus* hæresesque complures. De singulis distinctius agere, non videtur ab instituto alienum, eo scilicet respectu, quatenus his vocibus denotatur certa animi dispositio, aut ejusmodi principia, quæ fuerunt causæ, ut Theologia corrumperetur.

§. XV. A SCEPTICISMO igitur ut exordiar, sicut omnis merito Scepticismus gravissimum intellectus vitium habetur, quia tollit usum rationis, & homines ad brutorum fere conditionem detrudit, ita præsertim *Theologicus* longe manifestissimum corruptæ rationis humanæ in rebus divinis est indicium. Est enim Theologia cognitio veritatis, eaque non dubia aut infirma, sed certissima & firmissimis innixa fundamentis, ut & intellectum ad assensum, & voluntatem ad obsequium pertrahere possit. Scepticismus autem, qui omnem & veritatem & certitudinem prorsus tollit, quanto-pere convictioni isti, qua mentes Christianorum de veritate fidei suæ certi esse debent, contrarietur, nemo non videt. Imo, si eousque non progrediatur, sed unius tantum aut alterius articuli veritatem in dubium vocet, est tamen sic quoque verum, per Scepticismum corrumpi Theologiam.

§. XVI. Simul oportet ejusmodi hominum statum esse *miserrimum*. Nemo enim est, cui, licet ea quæ e. g. de statu hominum post hanc vitam religio docet, quam maxime dubia, aut, si vis, a vero etiam aliena videantur, qui tamen formidine oppositi non torqueatur, & cui non interdum in mentem veniat timere, ne forte vera sint, quæ sacra Scriptura tradit, unde in perpetuo eum metu versari necesse est.

C

Non-

Nonnulli quidem ejusmodi consilium in gratiam horum suppeditaverunt, ut dicerent, partes saltem tutiores hic esse eligendas; neque enim eum qui hac vera esse credat, quicquam periclitari, si etiam, quod tamen sine scelere dici haud potest, vera non sint, cum contra, qui de iis dubitet, sine certissimo periculo id facere non possit. Res ipsa est extra controversiam, utrum vero ex dubia hac persuasione fides, quæ Deo placet, nascatur, non sine causa alii negarunt. Debemus enim confidenter scire, quid & in quem credimus, neque similes esse fluctibus maris, qui ventis agitantur & jaçantur, Eph. IV, 24. conf. Jac. I. 6. Sed sufficiant hæc ad declaranda incommoda Scepticismi in Theologia.

§. XVII. Sequitur jam INDIFFERENTISMUS Religionum, novus corruptæ in rebus divinis rationis humanæ fructus, idemque rursus plurimorum in Theologia errorum fons. Solent Theologi varias Indifferentismi species constituit, quarum diversitas inde peti solet, quod nunc ad plures, nunc ad pauciores religiones se extendat. Nobis in præsentia, de eo, quem *Particularem* vocant, sermo est, qui eas demum sectas, in quas Christiani dissentientes divisi sunt, complectitur, easque iterum aut omnes, aut aliquas. Indifferentismus enim Universalis, quando cum Atheismo coincidit, plane huc non pertinet, quia non corrumpit, sed tollit Theologiam, quando vero cum Rationalismo, de eo infra agetur.

§. XIX. Ut vero eo melius constet, quare particularis ille Indifferentismus causis corruptæ Theologiæ a nobis annumeretur, in fundamenta & doctrinas illorum inquirere juvabit, ut ex illorum a verbo divino discrepantia iudicium feratur, quare Indifferentismus cum vera scientia Theologica consistere nequeat? Sunt itaque qui autumant, ideo parum referre, cui quis se addicat parti, quia cultum Numinis *amore* absolvi volunt, fidemque non esse actum intellectus sed voluntatis: perinde itaque esse, quicquid demum in rebus fidei statuatur, modo pio affectu homines summum

mum Numen prosequantur, in quo secundum eos, fides, quæ Deo placet, consistit. Sed contra hos illud tenendum, ad normam Scripturæ fidem constare tribus gradibus, notitia, assensu & fiducia, quorum duo priores pertinent ad intellectum, tertius demum ad voluntatem, eosque ita esse comparatos, ut non separati, sed conjunctim sumti, fidem veram & genuinam constituent. Nulla igitur ratione notitia intellectus a conceptu fidei excludenda, cum Joh. XVII. 3. vita æterna ea esse dicatur, ut cognoscant solum verum Deum, & quem misit Jesum Christum. Non ergo sufficit amor, sed requiritur etiam cognitio. Cui concordat, quod Jeraias LIII. II. dicit: *Cognitione sui justificabit justus servus meus multos.* Necessaria igitur est cognitio ad justitiam & salutem.

§. XIX. Accedit huc aliud argumentum a conditione naturæ humanæ petitur, quod credere non possumus, nisi ea, quæ mente apprehendimus. Et certe propria unumquemque condoceret experientia, non posse voluntatem, neque debere etiam secundum ordinem a Deo præscriptum acquiescere, nisi in rebus sufficienter ab intellectu cognitis, sibi que sub ea ratione repræsentatis, ut non possit non eas amplecti. Intellectus enim est judicare & eligere, voluntatis vero appetere atque frui iis, quæ intellectus bona & salutaria judicavit. Quando igitur fides Theologica acquiescere debet in Christo Mediatore, necesse est hunc actum voluntatis præcedat notitia intellectus ex Scripturis hausta de Christo, ejusque merito, & gratia Dei per illud impetranda. Est igitur hoc Indifferentismi fundamentum ineptum ac falsum, quando fidem sine vera notitia esse posse arbitrantur.

§. XX. Est porro aliud hominum genus ideo Indifferentismo addictum, quia veritates Theologicas adeo absconditas & abstrusas esse dicunt, ut frustra sint, qui in eis indagandis operam consumunt. Non ergo esse cur unam religionem præ altera eligamus, cum, si forte puriorem amplectamur, casu id potius fiat, quam judicio, neque enim nos hac de re posse esse certos, sed unice felicitati nostræ tribuen-

dum, si nobis contingat id, quod optimum erat, sequi. Tutissimum itaque videri, cum mens nostra tantis sit immerfa caliginibus, ne de rebus, quas perveſtigare non licet, lites feramus, ſed ſibi quemque ſapere permittamus.

§. XXI. At vero temere hæc omnia ſupponi, certum eſt. Qui enim conveniret divinæ bonitati, ſufficientes homini denegare vires, ad ea certo & cum animi perſuaſione cognoscenda, quæ pertinent ad acquirendam ſalutem æternam, ad quam facti ſumus: Et ſi forte quibuſdam, hæc, ut ita dicam rationes convenientiæ (raisons de Convenance) nondum ſatisfaciunt, iis certe finis ipſe & ſcopus divinæ revelationis omnem ſcrupulum ex animo evellet. Quem enim alium in finem DEUS conſilium ſuum de noſtra ſalute manifefſtavit, & litteris mandandum curavit? cur etiam in aliis rebus revelavit, quæ ex ratione ſibi relicta ſciri non poterant, niſi in eum, quod nos de iis cupiit inſtructos & recte informatos. Verum itaque eſt, intellectum divinæ gratia adjutum, pollere facultate ea cognoscendi, quæ DEUS in Scriptura ſalutis noſtræ cauſa nobis propoſuit, atque eo etiam modo cognoscendi, quo ipſe vult, ut cognoscamus. Quæ præter hæc apud alios ſunt Indifferentiſmi fundamenta, prætereo, quoniam ex dictis facile conſtat, Indifferentiſimum recte annumerari cauſis corruptæ Theologiæ.

§. XXII. Succedat nunc inter cauſas corruptæ Theologiæ naturales aliud rationis humanæ vitium, ſuperioribus duobus e diametro oppoſitum, quæ eſt naturæ corruptæ inſignis perversitas, ut plane contrariis interdum modis ad eundem finem conſpiret, & verbo DEI atque agnitioni ſalutis adverſariam ſe præbeat. Ut enim Sceptici & ex parte Indifferentiſtæ, de uſu etiam organico rationis in Theologia detrahebant, ita, qui nunc ſequitur RATIONALISMUS, viribus rationis nimis tribuit, ſeque extollit adverſus cognitionem DEI. Non autem eſt unius generis, ſed craſſus alius, alius ſubtilis. Craſſus eſt illorum, qui extra CHRISTUM

rum sibi sapiunt salutis viam, & vires rationis eo usque extendunt, ut nec iis, qui extra Ecclesiæ pomæria constituti sunt, salutem denegari posse arbitrentur. Sed hi quidem certe a recto tramite vehementer aberrant. Ignorat enim ratio, quocumque tandem modo accipiatur, CHRISTUM mediatorem inter DEUM & homines, & expiatorem nostrorum peccatorum, extra quem non in alio quoquam salus, neque nomen sub cælo hominibus datum, per quod nos oporteat salvari. Act. IV. 12.

§. XXIII. Sed magis ad institutum pertinet subtilior Rationalismus, qui quidem assumit revelationem, sed ita, ut in ea nil, nisi quod rationi consentaneum videtur, & comprehensibile admittat, viresque naturæ cum imminutione gratiæ ubique extollat. Facile autem apparet, debitum hoc modo inverti ordinem, cum revelatio debeat supplere defectus rationis, minime vero ad ejus captum mensurari. Superaddita enim est revelatio notitiæ naturali, ut suppleret ejus defectus, nosque plenius instrueret de eis, quæ erant ad DEUM cognoscendum, rite colendum & salutem adipiscendam necessaria. Jam vero, si ita abutamur ratione, non ut ea quæ revelata sunt cum obedientia accipiamus, sed torqueamus, invertamus, ad nostrum capiendi modulum exigamus, non habemus puram atque integram revelationem, sed Theologiam misere per abusum rationis corruptam & depravatam.

§. XXIV. Occurrit itaque hoc loco celebris & multum agitata quæstio, *de æstimatione rationis humanæ*, ejusque legitimo in Theologia usu: de quo argumento prostant multa Summorum Virorum scripta, vehementer a se invicem discrepantia, dum alii de ejus corruptione & imbecillitatibus queruntur, alii contra maximis eandem in cælum laudibus extollunt. Si, quæ veritati consentanea sunt, paucis hic exponere licet, antea omnia supponendum, quod omnes, ut arbitror libenter concedent, rationem abstracte & ratione essentiæ consideratam esse excellentissimum benignissimi

Numinis donum, hominis præ reliquis animalibus prærogativam constituens, adeoque in beneficii & magnæ perfectionis loco habendum.

§. XXV. Ad usum rationis quod attinet, distinguendus est usus, quem in rebus naturalibus & moralibus præstat, ab usu quem in divinis habet. In naturalibus enim ratio unicum est principium cognoscendi, neque quicquam admittendum, nisi quod per eam clare & evidentem percipimus. Quamvis enim non diffidendum, per lapsum etiam in naturalibus vires rationis vehementer esse imminutas, nostramque cognitionem valde esse imperfectam, supersunt tamen reliquæ & velut scintillæ quædam non imaginis divinæ, ea enim funditus deleta, sed rationis naturalis, & quo polluit olim, in perfectissimo gradu primæ lucis, quæ si excitentur ac dirigantur, insignis quædam vis rationis inde elucescit, totiusque ambitus eruditionis humanæ, totque præclara non solum inventa, sed & salutaria ad vitam honeste instituendam præcepta, tam clare ejus usum declarant, ut mentem egerasse videretur, qui vel minimum hac de re dubitare auderet.

§. XXVI. Quando autem de Usu rationis in Theologia quaritur, aliter est incedendum, neque tam late patet ejus utilitas. Præeunte enim Scriptura sacra supra jam evictum, hic autem denuo inculcandum & repetendum est, rationem, prout actu in hominibus est *ante conversionem*, esse cæcam, obscuratam, DEO inimicam, & ad omnia prava proclivem. Unde facile est, colligere justis limitibus circumscribendum esse illius usum, quoties in divinis adhibetur, & nequaquam tantum ei libertatis, quantum in humanis, concedendum esse. Neque etiam a vero aberrare censendi sunt, qui propter allata Scripturæ effata contendunt, in Theologia rationem esse removendam, cohibendam, captivandam.

§. XXVII. Simul tamen meminisse decet, rationem, quantumvis cæcam & stultam, esse tamen instrumentum

tum omnis cognitionis, neque ullam rem posse cognosci aut judicari, nisi per rationem. Nequaquam igitur est approbandus illorum mos, qui quavis data occasione, contra rationem debachantur, & quasi pietatis laudem in eo positam putent, sic rationi maledicunt, & rationis interdum fideique pugnam comminiscuntur. Prudentissimi enim quique facile agnoscunt utriusque conformitatem, & cum DEus sit auctor utriusque, Absit, (verba sunt Augustini) ut hoc in nobis DEus oderit, in quo reliquis animantibus excellentiores creavit. Non igitur ratio ipsa, sed quod in ea est falsum & erroneum, detestandum est: ceteroquin enim, in quantum res etiam spirituales cognosci possunt, non aliter, quam per rationem, velut per medium cognoscuntur. Maneat ergo hoc in causa, legitimum rationis usum in Theologia non solum utilem, sed & necessarium esse. Conf. inter alios J. P. de CROUSAZ, in elegantissimo libro, de *l'education des enfans*. Tom. II. Sect. VI. pag. 338. seq.

§. XXIIIX. Ipse autem *usus rationis in Theologia* est Organicus, sive *instrumentalis*, consistens in eo, ut ratione tanquam instrumento utamur, ad cognoscendum id, quod DEO placuit de rebus ad vitam aeternam consequendam, creditu necessariis, nobis revelare. Quamdiu igitur intra hoc se continet terminos, & formam methodumque rite argumentandi, unamque veritatem ex altera nectendi nobis suppeditat, non potest non ejus usus plane esse eximius, quandoquidem *consequentia* in Theologia saepe sunt necessariae, neque tamen recte formari possunt, nisi ratione in hoc negotio legitime utamur, & illius ope judicemus, an ex praemissis rite & necessario conclusio fluat?

§. XXIX. Neque quisquam mihi objiciat, multa esse in Theologia incomprehensibilia, circa quae nullus debeat esse rationis usus, cum quae non capit, ab ea non debeat tractari. Nihil enim aliud hinc concludere licet, quam id quod lubentes concedimus, istiusmodi veritates, non esse ad rationis modulum exigendas, quia aliquid continent,

tinent, quod capere nequit. Manet tamen semper certum & indubitatum, circa ipsa etiam mysteria aliquem usum rationis esse admittendum, dum primo judicare debet, revelatum aliquid fit an minus, deinde hæc vel alia ratione fit propositum, denique, si opus est, ut consequentias inde deducat, quæ omnia rectissime posse fieri, omnes fatentur.

§. XXX. Postremo dantur principia quædam *materialia*, ad materiam argumentorum pertinentia, atque ex disciplinis humanis petita, quæ dummodo vere talia sint, recte in Theologia adhibentur. Quando enim uni propositioni e principiis rationis hausta, eique claræ & evidenti, adjungitur alia per revelationem cognita, & consequentiæ, quæ inde ducuntur, sunt immediatæ, tum conclusio omnino est de fide, sive eodem loco habenda, ac si in Scriptura ita revelata reperiretur. Sic fides rationis usum non excludit, cedit tamen ratio revelationi, simulac evidens ipsi est, rem hoc vel illo modo revelatam esse, licet non adfit evidentia objecti. Certe enim non implicat, dari in religione veritates, quas intellectus non comprehendit, nec ideo illas in dubium vocare licet. Quod si enim teste CROUSAZIO *loc. cit. p. 360.* Il y a une infinité de choses, dans les Mathématiques, dont nous démontrons l'existence, par des raisons sans réplique, & que l'Esprit humain est pourtant dans l'impuissance de se représenter telles qu'elles sont, & de les embrasser par ses idées, quanto magis in Theologia admittendum, multas res nostrum superare captum, neque tamen minus esse veras. Sed hæc de usu rationis sufficient.

C A P. I I.

Conspectus.

§. I. Tractationis hujus & *existentia* Præjudiciorum
necessitas, §. II. *Definitio* Theologicorum. §. III. Do-
cetur,

cetur, quod sint *vitia intelle-*
ctus. §. IV. Agitur de *fonti-*
bus præjudiciorum, qui sunt
Voluptas. §. V. *Ambitio.* §.
 VI. *Avaritia.* §. VII. *Edu-*
catio. §. VIII. *Consuetudo.* §.
 IX. Sequuntur *species præju-*
diciorum, ut præjudicium
Præcipitantiæ & Auctoritatis. §.

X. *Recepta hypotheseos.* §. XI.
Proprii commodi. §. XII. *Con-*
suetudinis & paterni moris. §.
 XIII. Ostenditur *Efficacia*
præjudiciorum. §. XIV. *Ef-*
fectus. §. XV. Quibus *modis*
præjudicia corrumpant Theo-
logiam.

CAP. II.

De Præjudiciis.

§. I.

Superiori quidem capite haud exigua pars *Causarum*
 corruptæ Theologiæ, quæ ex intellectus corruptione
 proveniunt, enumerata est, supersunt tamen adhuc
 PRÆJUDICIA, quæ adeo prætereire non licet, ut et-
 iam singulare illis caput tribuendum videatur. Quando-
 quidem enim ipsa testatur experientia, & multitudo contro-
 versiarum, quæ a multis retro temporibus inter Christianos
 agitata sunt, jamdiu præjudicatarum opinionum mole præ-
 mi Religionem Christianam, & gravissima ab illis passam es-
 se mala, vix ulla industria nimia videri potest, quæ eis in-
 dagandis & explicandis impenditur. Atque laudabilem
 omnino susceperunt operam, qui inter Philosophos æque ac
 Theologos accuratiores de hoc argumento instituere tracta-
 tiones, inter quos suo jure & cæteris saltem paribus, lau-
 dandus *Celeberr. Tubing. Cancellarius C. M. PFAFFIUS*, cujus
 facem nobis hæc scribentibus in multis præluxisse, lubenter
 fatemur.

§. II. Sunt autem *præjudicia Theologica* nihil aliud
 quam

D

quam principia erronea, & falsa opiniones, quas de rebus ad Theologiam & fidem pertinentibus ante prævium eorum examen, tanquam vera animo concipimus, tuemur, atque ex iis rursus res alias dijudicamus. Eorum *existentiam* nemo facile negabit, & actum agere videretur, qui longa argumentorum serie eam demonstrare vellet. Nam etiam si omnes in Ecclesia, cui nomen dederunt, præjudicia dari negarent, fatebuntur tamen, & omnibus viribus contendunt, reliquas omnes, quæ diversas fovent opiniones, præjudicii esse infectas, iisque impediri, quominus veritatem agnoscant & amplectantur, quod quidem ad eorum existentiam probandam sufficere potest. Certe, quoties cum adversariis res est, toties fere præjudicia accusantur, iisque tribuitur, quod sua quisque errata mordicus teneat.

§. III. Esse ea *vitia intellectus*, vel ex ipsa descriptione clarum est. Sicut enim rite judicare est virtus intellectus, ita falsa quæcunque judicia de corruptione ejusstantur, præjudicia autem multo etiam magis, quia & ipsa jam sunt falsa judicia, & multorum postea errorum, præsertim in spiritualibus causæ sunt. Apparet igitur, insignem præjudicii locum deberi inter Causas Corruptæ Theologiæ, nec erit ab instituto alienum, si de illorum origine, speciebus, proprietate & effectu brevis instituetur tractatio. Sic enim eo melius pernicies eorum patefiet, & simul enascetur occasio, multa alia vitia, quæ quidem pertinent ad Causas Corruptæ Theologiæ naturales, nec tamen adhuc pertractata sunt, commemorandi, totique huic argumento majorem affundendi lucem.

§. IV. Atque ut a *fontibus* præjudiciorum exordiar, primus esto *Voluptas*, seu *desidia* illa naturalis, qua ducti homines libenter inquirendi laborem subterfugiunt, iisque placitis, quæ ab aliis dudum aut inventa, aut defensa fuerunt inhærere malunt, quam novum de illis instituere examen, aut quibus nitantur fundamentis inquirere. Non enim est quod quisquam sibi persuadeat, exiguum sufficere laborem

laborem & industriam ad claros sibi de omnibus rebus conceptus formandos, veritatemque ex suis principiis eruendam, quod nemo assequetur, nisi qui multum temporis, assiduumque studium huic rei impenderit. Id vero cum multis nimis videatur molestum, aliam ingrediuntur viam, & quæ a Viris ingenii & eruditionis laude claris pro vero haberi vident, sine ulteriore examine assumunt, unde fœcunda præjudiciorum seges.

§. V. Secundus præjudiciorum fons est *ambitio*, quod diversa contingere potest ratione. Quidam enim ita præclare de felicitate sui ingenii sentiunt, ut nullam rem tam abstrusam esse putent, in cujus ultimos recessus non possint penetrare. Dum itaque tantopere sibi confidunt, & ab errore difficulter timent, vix aliter accidere potest, quam ut, quicquid ipsis in mentem venit, illico indubitata veritatis loco habeant, & aliis etiam pro vero venditent. Ubi autem semel illud factum, raro adduci possunt, ut mentem mutant, turpe videlicet sibi ducentes errasse, aut aliquid ignorasse, unde tanta horum præjudiciorum pertinacia, ut nullum fere medium, eis eradicandis sufficiat. Apud alios ambitio ideo est mater præjudiciorum, quia homines ambitiosi gloriam captant, & novis hypothefibus inclarescere cupiunt, quo fit, ut, dum laudes potius quam veritatem sectantur, haud raro falsa pro veris arripiant, & semet ipsos præjudiciis immergant. Alii præjudicia amplectuntur, ut cum Viris celebribus sententias communes foveant, alii alia de causa.

§. VI. Tertium præjudiciorum fontem constituimus *avaritiam*, idque duplicem potissimum ob causam. Primo enim homines avari sunt meticulosi, & ad superstitionem proclives. Hinc facile timent iram Numinis, etiam ubi minime timenda erat, & si novi quid molirentur in rebus ad religionem pertinentibus, judicia divina se incurrere putarent. Sunt itaque receptorum hypothefium tenacissimi, & abhorrent quicquid novitatis titulum præfert, tutius scilicet exi-

firmantes eis stare, quæ ante se obtinuerunt, & quibus vel ob antiquitatem aliquid divini inesse putant, quam amplectendo novas opiniones, indignationem sibi accelerare divini. Accedit secundo, quod idem ille amor, quo homines avari in bona terrena feruntur, eos impellat, ut pro vero ac bono reputent, quicquid commodis ipsorum inservit, libenterque sibi persuadeant, esse illas hypothesen, ex quarum propugnatione utilitates percipiunt, veritati etiam conformes. Unde apparet, avaritiam & producere præjudicia, & homines avaros difficulter ea deponere, ne forte emolumento quodam exinde priventur.

§. VII. Succedant jam hisce præjudiciorum causis duæ aliæ Morales, *Educatio & Consuetudo*. Nemo est quem latere possit, quanta sit utriusque vis & efficacia in dirigenda mente humana; nam

*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu,*

& homo cujus animus semel infectus est opinionum pravitate difficillime se ab iis liberari patietur. Nihil igitur mirum, idem contingere in religione, & eos, qui in juventute falsis principiis innutriti sunt, eorum postmodum per omnem vitam esse tenacissimos, & pessime de veritate merentur, qui ita teneros animos formant, ut, quod quisque a Præceptoribus accepit, illud pro vero habeat, & dissentientes naso adunco suspendat. Nec quenquam fore arbitror, qui non ex animo damnet morem istorum, qui iram Numinis, & judicia divina & quicquid unquam excogitari potest calamitatis tum temporalis tum æternæ iis annunciant, qui seposito partium studio veritatem religionis scrutantur, quæ sunt verba D. PFAFFII *Diff. priori de Præjud. S. V.*

§. VIII. Magnam cum educatione affinitatem habet *Consuetudo*, quam alteram naturam recte nonnulli dixerunt. Quibus enim conceptibus a teneris adsuevimus, eos postea mutare adeo est difficile, ut opinioni confirmatæ ratio ipsa

ipsa cedat. Legi merentur quæ habet DN. D. PFAFEIUS I. c. §. VIII. *Quæ inde a juventute, inquit, a nobis credita sunt, & sub religionis specie nobis persuasa, licet eorum falsitatem ad oculum demonstratam habeamus, tantam tamen vim animis nostris inferunt, ut, si iis nuntium velimus mittere, contrariamque amplecti opinionem, aut dubiam in nobis, quam vocant, forment aut scrupulosam conscientiam, qui desperatus est humani intellectus morbus. En vim incredibilem consuetudinis, eamque simul causam præjudiciorum, utpote quæ non solum plurima in animo gignit, sed miris etiam modis roborat, ut ægre eradicari queant.*

§. IX. Accedimus ad varias præjudiciorum Species, quæ pro diversitate causarum itidem diversa sunt. Ex *Voluntate* oriuntur dico illa notissima præjudicia *Auctoritatis & Precipitantia*. Hoc est, quando homines inquirendi laborem subterfugientes, re non satis cognita & perspecta, temerarium iudicium ferunt, levi aliqua veri similitudinis, vel externa etiam specie impulsæ. Legimus illud damnatum a Christo, Phariseis dicente Joh. VII. 24. *Ne iudicatis secundum vultum, sed iustum illud iudicium ferte.* Præjudicium *auctoritatis* est, quando sententiam aliquam amplectimur, aut pro vero aliquid reputamus, ideo quia Viris prudentibus, & in auctoritate constitutis idem placere videmus aut contra rejicimus, quia ipsis non probatur. Reperimus ejus vestigia Joh. VII. 48. ubi Pharisei, fidem in Christum disuasuri ficulneo hoc utuntur argumento: *Num quis ex primoribus credit in eum, aut ex Phariseis?* Sed optabile esset ut cum Phariseis ejus generis argumentationes desissent!

§. X. Ex *ambitione* oritur Præjudicium *receptæ hypothesis*, in eo consistens, quod homines ambitiosi, postquam semel opinionem aliquam defenderunt, nulla ratione adduci possunt, ut se errasse fateantur, licet contrarium evidentissimis rationibus demonstraretur, sed pro sententia semel arrepta, tanquam pro aris & focis pugnant, ideo tantum, ne errorem agnoscere necesse habeant. Nemo autem non videt, esse hunc morem perniciosissimum, & cognitioni veritatis è dia-

metro oppositum. Nihilominus hujus quoque præjudicii exemplum, ut & in superioribus suppeditant Pharifæi Joh. VIII. 33. ubi se in libertatem vindicatum iri Christo affirmanti non credunt, ob receptam hypothefin, *se esse semen Abrahæ, nec cuiquam servisse unquam.* Ipsi Salvatoris discipuli ob præconceptam opinionem de regno Messiaë terrestri, ne clarissima quidem effata, quibus Christus passionem & mortem futuram prædicebat, intelligebant, sed post resurrectionem etiam fatebantur *se sperasse, fore ut redimeret Israellem,* quod videre licet Luc. XXIV, 22.

§. XI. Ex avaritia oritur Præjudicium proprii commodi & utilitatis, quando scilicet intuitu commodi, quod ex aliqua re in nos redundat, propugnationem ejus in nos suscipimus, quicquid autem utilitati nostræ adversatur, quasi falsum rejicimus. Turpe quidem dictu reperiri homines qui ipsam veritatem, qua nihil augustius, nihil sanctius, utilitatibus suis sacrificant; sed ne insigne aliquod hujus rei exemplum nobis deesset, effecerunt Pharifæi, Joh. XI, 48. ita inter se colloquentes: *Si eum, nempe Christum ita omittamus, omnes ei credent, venientq; Romani, & delebunt cum locum nostrum, tum gentem.* Erat igitur præcipua quasi motiva, cur Christo fidem habere nolebant, quia verebantur, ne forte damnum aliquod sibi suisque rebus inde oriretur. Et certe, quod Christus in universum de avaritia affirmat, *esse eam fontem omnis mali,* id merito hic quoque applicatur, ut dicamus, præjudicia proprii commodi esse multorum in Theologia errorum causam.

§. XII. Superest præjudicium *consuetudinis*, aut si mavis, paterni moris, idque si ullum aliud cognitioni veritatis vehementer contrarium, & in Theologia causa corruptelarum. Quilibet autem facile intelligit, esse illud, quando homines magis student addiscendis & memorias mandandis iis, quæ a Majoribus & parentibus acceperunt, quam ut veritatem ipsi investigent atque rimentur. Si praxin Ecclesiæ Romanæ considerare velimus, notum est, majori
in ea

in ea curâ esse, ut quisque sibi familiaria reddat placita Majorum, quam ut sine partium studio veritatem ex suis quasi incunabulis eruere conetur. Hinc præjudicia a generatione in generationes propagantur, & semper antiqua recolvuntur, quia laborant præjudicio paterni moris, & religioni sibi ducunt vel latum unguem ab antiquis discedere. Oppido autem mirandum in pietatis loco plerumque haberi, præter ea quæ dudum dicta sunt, nihil admittere, cum tamen ad oculum pateat, si hac mente omnes fuissent, nunquam fieri potuisse, ut veritas ex superstitione & erroribus popularibus emergeret. Sed infinitum foret, omnia quæ hic dicenda erant persequi, & res ipsa loquitur. Unicum addo ex 1. Pet. I, 18. *CHRISTUM redemisse homines suo sanguine ex vana conversatione a Patribus tradita*, adeoque hoc præjudicium tam in theoria quam in praxi esse insigne Christianismi impedimentum.

§. XIII. Ex proprietatibus præjudiciorum, quæ plures allegari possent in præsentia nominasse sufficiat *Efficaciam illorum*, seu vim illam incredibilem, quam animis hominum inferunt, ut mens libera in operationibus suis esse nequeat. Ubi enim semel animus præjudicatis opinionibus imbutus est, hebeatur mentis acies, nec amplius homo libere in veritatem inquirit, sed ea demum, quæ vera esse vult, pro veris habet, & veritatem ipsam obtorto collo ad opiniones suas trahit. Licet enim alias vis atque efficacia veritatis tanta sit, ut simulac menti clare & perspicue proponitur, homines vel invito in sui assensum adducat, est tamen observandum, eam esse præjudiciorum efficaciam, ut veritas, clarissimis licet argumentis ob oculos posita, sæpe atque adeo plurimum nihil contra eam efficere valeat. Idem hic sentit Dn. D. PFAFFIUS, quando in *Diff. priore de Præj.* §. 1. *Peculiarem, inquit, quandam vim, quæ vix infringi potest, consuetudo iis dedit opinionibus, quæ eisi falsissima, diu iam menti infixæ cum sint, veritatis speciem ob longam possessionem, præscriptionisq; ins induerunt.* Ubi id quidem certum, circa opinio-

opiniones præscriptionem non habere locum; attamen errores ex longa consuetudine, quasi jus præscriptionis sibi formant, atque eo difficilius eradicantur.

§. 14. *Effectus* denique præjudiciorum est ipsa *Corruptio Theologia*, quam falsis doctrinis mirum in modum defœdant. Sicut enim ex mala arbore non nisi mali proveniunt fructus, ita per præjudicia non nisi errores in Theologiam possunt induci, quia præjudicatæ opiniones principiorum ad instar se habent, ex quibus errores legitime fluunt. Atque hæc corruptio adeo est universalis, ut ad universam Theologiam, singulasque ipsius partes se extendat. Dantur enim præjudicia theoretica, dantur practica, & si quæ sunt aliæ Theologiæ distinctiones, forte in omnibus præjudicia locum habent.

§. XV. Quæret forte quisquam, quibus igitur potissimum *modis* Theologia per præjudicia corrumpatur? cui respondemus, esse forte difficile omnes percensere, attamen si præcipuorum numerum inire placet, fieri illud 1) intellectum obtenebrando, ut lucem veritatis, in verbo DEI accensam, videri nequeat. 2) Perversam dispositionem menti inducendo, ut non aliter quam præjudiciis conforme est, judicet. 3) Inconsulte & sine prævio debito examine sententiam apprehendendo, & pro veris assumendo iis, in quorum fundamenta & rationes nunquam fuit inquisitum. 4) Pertinaciter opiniones semel arreptas defendendo, quasi nullum dubium alicujus momenti contra eas moveri possit. 5) Rationes, quibus ab erroribus revocandi erant, procul faceffendo, seque potius in eis confirmando. 6) Commenta humana pro articulis fidei venditando, aliisque necessitatem ea credendi imponendo. Facile largior, plura hic allegari posse, sed ex commemoratis judicium feratur de reliquis. Itaque præjudicia nunc valere jubemus.

CAP. III.

De Voluntate, quatenus influit in
corruptionem Theologiae.

Conspectus.

- §. I. Etiam *Voluntas* cor-
rumpit Theologiam; §. II.
Sed *mediate*. §. III. Ut *im-*
pellendo, *flectendo* &c. §. IV.
Ante lapsum erat summa fa-
cultatum animæ *harmonia*. §.
V. Sed post lapsum volun-
tas sæpe *relinquitur* intellectui.
§. VI. Illumque *impellit* ad
objecta accuratius aut negli-
gentius consideranda. §.
VII. Determinat ad ea certo
modo consideranda. §. IIX.
Unde *emendatio* certo respectu
§. I.
- §. IX. *a voluntate* incipienda. §. IX.
Varios menti inducit *habitus*.
§. X. Quod ostenditur de tri-
bus vitiis cardinalibus. §. XI.
Declaratur quomodo *Theologia*
corrumpatur ex *determinatione*
intellectus per voluntatem.
§. XII. Quomodo idem fiat
per *habitus* quos inducit, spe-
ciatim ratione *Voluptatis*. §.
XIII. Ratione *Ambitionis* &
avaritia. §. XIV. Quod *vita*
impia etiam fit causa corruptæ
Theologiae.

Postquam hæcenus de Intellectu, deque vitiis ex ejus
corruptione in Theologiam redundantibus, breviter
pro instituti ratione egimus, sequitur nunc in ordine
altera mentis facultas; quam VOLUNTATEM ap-
pellare moris est: de qua statim dubium videri posset,
utrum illa pertineat ad causas corruptæ Theologiæ? Sermo
enim nobis est de Theologia non tam in praxi, quam in
E theo

theoria corrupta, Voluntas autem non est facultas vera & falsa dijudicandi, sed bonum appetendi, malumque averfandi: mirum igitur, nominari eam inter Causas Theologiae quoad theoriam corruptam? Sed & ad objectionem hanc statim respondebitur, & quae jam dicenda erunt, haud obscure tractationis hujus necessitatem ob oculos ponent & influxum voluntatis in Theologiam corruptam reipsa demonstrabunt.

§. II. Quilibet autem facile vel me tacente videt, non posse voluntatem nisi *mediate* dici Causam corruptae Theologiae. Proprie enim & immediate corruptiones proveniunt ex intellectu, & defectuum, quos in eo deprehendimus sunt fructus & sequela. Nec facile quis aliter sentiet, nisi qui voluntati etiam judicia quaedam attribuet, quae tamen opinio ab aliis Philosophis jamdiu profligata est. Nec tamen ideo solus intellectus corruptae Theologiae est accusandus, & reliquae mentis facultates culpa liberandas, sed ut imago divina quoad omnes animae facultates amissa est, ita etiam singulae magnis in Theologia defectibus laborant, & ad eam depravandam quasi de suo singulae aliquid conferunt.

§. III. Clariora haec omnia evadent, si, quae de *Causa Morali* a Philosophis traduntur, in memoriam revocare placet. Dicunt autem illi, non eum solum alicujus effectus causam censerit oportere, qui ipse per se effecit, ut effectus existeret, sed & qui alia ratione ad eum producendum concurrat, ut suadendo, impellendo, dirigendo, promovendo, & quae sunt ejus generis alia, in scriptis Doctorum Moralium obvia, sufficienterque ab iis explicata & demonstrata. Facili negotio possunt haec ad praesens institutum accommodari. Intellectus quidem *proxime* est causa corruptelarum, quae in Theologiam irrepsert, sed sunt *aliquae* etiam voluntatis in hoc negotio *partes*, impellendo scilicet flectendo, dirigendo, quin potius abripiendo intellectum: qualis quidem inquinatio in hoc rerum statu voluntati prohi-

proh! tribui debet & potest, id quod nunc clarius paulo ita explicamus.

§. IV. Cum DEus primum creavit hominem, tanta fuit omnium facultatum animæ consensio & harmonia, ut omnes ad unum finem, nempe ad DEum rite colendum, & supra omnia amandum, amice conspirarent. Fuit tunc intellectus extra controversiam reliquarum dux & quasi moderator, ut in omnibus quid æquum rectumque esset, præscriberet; reliquæ autem omnes ita sequebantur ductum intellectus, ut nihil, nisi quod intellectus bonum & DEO gratum esse cognoverat, eligerent atque amplecterentur. Nulla tunc non modo facultatum mentis pugna inter se, sed ea etiam subordinatio, ut intellectus præluceret, reliquæ illius dictamini obsequerentur.

§. V. Post lapsum vero mira successit rerum commutatio, turbata proh dolor! suavissima hæc harmonia, & anima cum se quasi colluctatur, facultatibus omnibus imperium & ductum *intellectus*, in se & sua peccaminosa natura ad quamcunque prævaricationem misere proni, nunc æquali *avopia* respuentibus. Sedebat quondam ad gubernaculum ratio, nunc vi motuum inordinatorum sæpe inde dejicitur: imperitabat olim, & omnia rectissime fiebant, nunc impugnatur, & sæpe etiam proh! ipse in devia se abripi patitur, secundum pervulgatum istud:

- - - - *Video meliora proboque
Deteriora sequor.*

De *voluntate* imprimis hoc loco observandum, tantam ejus esse reluctationem, ut intellectus haud raro ad illius ferociorum nutum & motum abripiatur, quinimo totum se componat, & non quæ judicare debebat, sed quæ voluntas extorquet, judicet. Nullam validiorem hujus asserti probationem adducere possumus, quam ut quisque in se descendat, & si, quæ in se ipso peraguntur, attendet, experientia convictus veritatem agnoscat.

§. VI. Exercet autem voluntas suum fervorem ac furorem in intellectum triplici, ut videtur, potissimum ratione. Et *primo* quidem eum impellendo ad objectum accuratius aut negligentius considerandum, prout voluntati sub ratione grati aut ingrati obversatur. Quæ enim grata sunt voluntati, ad ea quam diutissime consideranda intellectum stimulat, ut omnem grati illius rationem penitus cognoscat, & voluntati gustandam propinet. Quæ vero voluntati sub specie ingrati representantur, ab earum rerum consideratione accuratiori intellectum, quocumque modo potest, retrahit, ne molestiæ nimis longæ aut frequentes sibi inde creentur. Interdum etiam ideas cæterorum quin molestas diutius pensitare jubet, ut eo majorem aversionem contra eas concipiat, unde evincitur, voluntatem determinare posse intellectum ad objecta aut diutius consideranda, aut eorum considerationem omittendam.

§. VII. *Secundo loco* ad inquinationem voluntatis in intellectum pertinet, quod illum determinare molitur ad objecta *eo modo* consideranda, quo ea considerari cupit, neque adeo omnem intellectui libertatem relinquit, qua opus est ad investigandam & cognoscendam veritatem. Quæ de studio partium hic dici poterant, reservamus in Cap. V. Cæterum si intellectus a voluntate minus in partes traheatur, nullum est dubium, quin homines veram suam felicitatem melius sint agnitori, & libentius amplexuri. Jam vero, cum Voluntas in apparentia bona feratur, intellectum etiam impedit, quominus verorum bonorum præ apparentibus præstantiam perspiciat, hominesque in majorem veri boni, amorem perducat. Forent mortales veræ felicitatis amantiore, si nossent, quanta *ex illius* possessione perciperetur voluptas, & contra bona apparentia eo vilius penderent, quo minus ad veram felicitatem conferunt: sed cupiditates plerisque homines in contraria omnia agunt.

§. IIX. His de causis nonnulli Theologorum æque ac Philosophorum adducti sunt ut dicerent, hominis emenda-

emendationem a voluntate esse incipiendam, in quo quidem alios maxime habuerunt dissentientes, sed controversia facile potest decidi, modo omnia recte intelligantur. Prærequiritur omnino sufficiens cognitio, ignoti enim nulla cupido est, & quamdiu intellectus ignorantia laborat, ab ejus emendatione incipiendum esse res ipsa clamat. Quia tamen etiam alia sunt voluntatis vitia, quæ impedimento sunt, quominus intellectus, quæ vere bona sunt, agnoscat, horum respectu a voluntate emendationis initium fieri oportere, patet, & ita capienda sunt eorum effata qui dicunt: *Ubi voluntas emendata non est, ibi nec intellectum emendari posse.* Ubi tamen ab *Indifferentistarum* infania, qui omnem fidem & religionem abs operibus & lege suspendunt, omnino distamus, velut id clarius jam docuimus, nec minus hos, qui aliter explicant id axioma merito rejicimus. Illuminatis enim non dependet a sanctificatione.

§. IX. Illud vero, quod diximus de impedimentis, quæ veritatis cognitioni ex vitiis voluntatis ponuntur, non temere dici, certissima, credo, comprobatur experientia, quæ docet, varios menti induci habitus a propensionibus voluntatis, idque simul adducimus ad inquisitionem voluntatis adversus intellectum ulterius, & quidem *tertio loco* probandam. Non enim actu solum voluntas exercet inquisitionem & ferociam in intellectum, quod superioribus duobus modis ostensum, sed habet etiam eam vim, ut habitualiter intellectum in diversis subjectis diversa ratione flectat. Si enim vestigiis Philosophorum de tribus vitiis cardinalibus insistere placet, animadvertemus aliter quodammodo hominis avari, aliter ambitiosi, aliter voluptatibus dediti intellectum esse comparatum, cujus non alia, quam inquinatio voluntatis est causa.

§. X. De ultimis ut incipiamus, habent hoc ex *voluptate*, ut raro accurate & serio in res inquirent, sed quamvis curiositate laborent, & omnia scire aveant, tamen aliquali & superficiali cognitione contenti sunt, laborem

autem ad fundamenta usque pertingendi libenter subterfugiunt. Malunt etiam nova aliorum scire inventa, quam ipsi novis rebus studiose excogitandis dare operam. *Ambitiosi* contra nil moliuntur nisi recondita, nova, extraordinaria, & admirationem conciliare apta. Hinc non parcent operæ, labori, studiis, lucubrationibus, modo ut aliquid inveniant, quo sagaciores & præstantiores aliis habeantur. *Avari* denique longe sibi alios fines habent præfixos, quam rectum facultatum animæ usum, hinc culturam ingenii plerumque negligunt, & tantum propensionibus voluntatis concedunt regimen, ut intellectus fere totus opprimatur.

§. XI. Si eorum, quæ dicta sunt, applicationem ad Theologiam instituire placet, non erit obscurum, totidem modis Theologiam per voluntatem corrumpi, quot modis voluntas furorem suum exercet in intellectum. Quoad *primum* igitur facile accidere potest, ut, quando in Theologica quadam disquisitione intellectus per voluntatem retrahitur a solida veritatis investigatione, quia hæc propensionibus voluntatis contraria est, & cum quadam ejus inclinatione, aut habitu *inveterato* pugnat, tum falsam aliquam speciem in veritatis loco habeamus, & pro Junone, quod dicunt, amplectamur nubem. Quando *secundo loco dictum*, determinari etiam intellectum a voluntate ad rem certa tantum ratione considerandam, quoties hujus interest, illam hoc & non alio modo esse veram, suppeditabunt ejus rei exemplum controversiæ quamplurimæ, in quibus sæpe studium partium, aliæque voluntatis cupiditates quam maxime impedimento fuerunt, quo minus errantes veritatem agnoscerent. Imo in ipsa praxi vitæ sapissime videmus homines mundanos aliquid *vel plane* non pro peccato habere, vel ea ratione, qua ipsi agunt, peccatum non esse contendere, quia voluptatibus ipsorum ita est consentaneum: res vel leviter eam reputanti, patebit.

§. XII. Quando *denique* diximus, a voluntate varios in animum induci habitus, per quos agnitioni veritatis

tatis ob exponatur, egregie hoc argumentum cum applicatione ad Theologiam tractavit doctissimus Joh. Clericus in libro Gall. de Incredulitate, quæ, si hic conferatur, multa dabit argumentum hoc mirifice illustrantia. Ne tamen ideo plane silentio illud præteream, primo de *Voluptate* dico, eam influere in corruptam Theologiam, dum homines reddit negligentes circa debitam veritatis investigationem instituentiam, seque de fundamentis fidei instruendos. Tum etiam, quia tota religio Christiana cupiditatibus carnis vehementer est contraria, & veterem hominem cum suis desideriis crucifigi atque interfici jubet, hæc autem omnia voluptati inimicissima sunt, facile homo induci se patitur, ut verbo DEI minus convenientia statuatur, idque eo modo interpretetur, quo cum voluptate sua consistere posse videt.

§. XIII. *Ambitio* multorum quoque in Theologia malorum causa est atque genitrix. Sunt quippe homines ambitiosi ad omnem impietatem proclives, & vel cum ipso DEO pugnare pulchrum sibi atque gloriosum ducunt. Hinc non solum portentosas facile in religione excogitant sententias, aut ab aliis excogitatas adoptant, sed eo interdum insaniam progrediuntur, ut ipsam Numinis existentiam in dubium vocent, & ingenii nervos in eo ostendere velint, ut rem omnium consensu comprobata, impugnare posse videantur. Animadversum etiam est, hæresium conditores nunquam non ex ambitioforum fuisse numero, & jamdiu a veterum quodam pronuntiatum est: Omnes hæreses occasionem habuisse ex ambitione & mutua invidia hæresiarcharum. Denique studium contradicendi, pugnantiam & pertinaciam, aliaque vitia ambitiosis familiaria non posse non vehementer corrumpere Theologiam unicuique patet. *Avaros* meticulositas illa naturalis ad idololatriam & superstitionem pronos reddit, & amor immodicus rerum creaturarum facile inducit, ut divinum, nescio quod, illis inesse sibi persuadeant, quo ipso, quam graves contra honorem soli DEO debitum committant errores, in aprico est.

est. Non immerito igitur dici potest, non fructus vitæ solum Luc. IIX, 4. sed fructus fidei etiam a sollicitudinibus, & divitiis ac voluptatibus hujus vitæ suffocari.

§. XIV. Cæterum esset hic locus agendi de *Vita Impia*, & inquirendi, num & quatenus illa dici debeat causa corruptæ Theologiæ? Ita enim prævit nobis DN. ARNDIUS. *lib. I. de Vero Christianismo Cap. XXXIIX, & XXXIX.* quorum priore assertum ivit. Vitam impiam esse causam falsæ & corruptæ doctrinæ, indurationis & occæcationis: & posteriore: Puritatem doctrinæ verbique divini non solum disputando, & multos libros edendo conservari, sed etiam vera pœnitentia & vitæ sanctitate. Ast quia sic attingenda foret vexatissima controversia *de Theologia irregenti*, idque ob prolixitatem in præsentî, non vacat, malumus aliorum scripta hac de re legi, nihilque addimus, nisi quod speramus omnes concessuros, opus esse lumine Spiritus divini, qui est Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, ad cognoscenda ea, quæ sunt ex DEO, & in sacro Codice ad salutem nostram Spiritualem ac æternam unice, ac sufficientissime revelata. Quandoquidem autem Spiritus sanctus ejicitur vita impia, privatur homo lumine illo, per quod videmus lumen divinum, intellige qua *gratiam justificantem & salvantem*, quicquid & supersit *gratiæ illuminantis*, facile etiam prævaricatio metuenda, & tristioribus multoties exemplis & experimentis comprobatum est, quæ propter, nec immerito vita impia annumerari itidem potuit ac debuit causis corruptæ Theologiæ.

CAP. IV.

Conspectus.

§. I. Connexio. §. II. *te.* §. IV. De associatione idearum. §. V. De potestate ejus Agitur de nimia ejus *activita-* in intellectum. §. VI. De

commu-

communicatione imaginationis.
§. VII. Quomodo *Theologia*
corrumpatur ex *activitate* ima-
ginationis? §. IIX. Ex *asso-*
ciatione imaginum? §. IX.
Ex *communicatione* imaginati-
onis? §. X. Ex *inquinatio-*

ne oritur *Enthusiasmus*. §.
XI. & *Fanaticismus*. §. XII.
Testimonium Form. Concord.
§. XIII. *Quid* sint affectus?
§. XIV. Illorum *effectus*. §.
XV. Quod corrumpant *The-*
ologiam.

CAP. IV.

De facultate imaginativa & affe-
ctibus, quatenus corrumpunt
Theologiam.

§. I.

HActenus perlustravimus mentis quas vocant *faculta-*
tes puras, & in quantum dici possint aut debeant
causæ corruptæ *Theologiæ*, pro instituti ratione bre-
viter indicavimus. Sequuntur nunc in ordine
mixte, ut appellari solent, facultates, ad quas a Philosophis
imaginationem & *appetitum sensitivum* cum *affectibus* referri sole-
re notum est. Nos, quæ de iis dicenda videntur, in unum
caput conjiciemus, ita quidem, ut initio ab *imaginatione*
facto, tractationem nostram tribus includamus membris,
consideraturi 1) quid sit *imaginatio*? 2) quomodo *secun-*
dum naturam sit comparata? 3) quænam inde exoriantur
causa corruptæ *Theologiæ*? De *affectibus* eodem servato or-
dine pauca deinde adjiciemus.

§. II. Ut igitur ab *Imaginatione* exordiamur, per
eam intelligimus facultatem mentis, quæ imagines rerum
corporearum, ministerio sensuum externorum, & spiritu-
um sic dictorum animalium, animo oblatas, variè disponit,

F

adeo

adeoque active circa eas versatur. Differt ab intellectu puro, cujus objectum sunt res abstractæ, universales & materiales: imaginationis contra, res corporeæ, singulares & in sensus incurrentes. Quilibet enim sibi conscius est, quando de re aliqua cogitat, tum interdum imaginem quandam rei, quam considerat, animo observari, interdum vero se rem absque omnibus picturis corporeis contemplari. Prius pertinet ad imaginationem, posterius ad intellectum purum. Atque simul hinc utriusque discrimen luculenter patet. Possimus e.g. corpus tres, quinque, decem, aut plura adhuc latera habens facile imaginari, & tanquam præsens considerare, quod proprie est imaginari: sed corpus centum latera habens, etsi intellectus haud difficulter concipit, illius tamen figuram imaginatio non assequitur. Sic etiam divisibilitatem materiæ in infinitum, approximationem duarum linearum, quæ nunquam se tangant, & ejus generis alia, ope intellectus multi demonstraverunt, etsi imaginationem longe superant. Ne quid nunc de rationibus numerorum, ideis universalibus & abstractis dicam, quæ sunt omnia supra spheram imaginationis. Quo pacto imaginatio differat a memoria sensuali & sensibus externis, non opus est pluribus declarare, nihil enim facit ad nostrum scopum.

§. III. Magis ad rem pertinet, ut quomodo secundum naturam in hominibus se habeat imaginatio? consideremus, id quod putamus posse ad IV. capita referri. Primum esto nimia ejus in pleisque hominibus activitas, per quam usum intellectus quasi præcurrit, & quæ hujus sunt, sibi vindicat. Ita enim in prima statim ætate assuescimus rebus tantum corporeis considerandis, ut in proveciori etiam ætate ægre aliquid comprehendamus, quod non simul imaginari possimus. Hinc etiam ideæ universales & abstractæ difficulter quodammodo animis juniorum inscribuntur. Plebeji autem, & qui nullam litteris operam dederunt, vix per omnem vitam aliud quid comprehendunt, nisi quorum imagines

gines obversantur, Qui etiam litterarum studiis intellectus usum magis sibi familiarem reddiderunt, nec ipsi ab hoc vitio plane immunes sunt, sed quicquid etiam contemplari aggrediantur, plerumque imaginatio sese immiscet, & si non aliud, certe verba, quibus ideas designamus, repræsentat. Raro enim de rebus quoque immaterialibus quis cogitabit, ut non verba simul, quibus exprimi solent, quasi descripta videat.

§. IV. *Secundum* quod circa imaginationem observare convenit, est, quod *associationem idearum* appellare moris est, in eo consistens, quod imagines objectorum, quæ eodem tempore menti fuerunt impressæ, conjunctim quoque soleant resuscitari, mentique objici; sumus enim semper pluribus objectis stipati, & si contingat, ut vehemens aliqua impressio menti fiat, tunc, quoties unum eorum objectorum, quæ conjuncta fuerunt, aut aliud similitudinem quandam cum uno alterove eorum habens, occurrit, toties & reliquorum objectorum, quæ præsentia fuerunt cum impressio fieret, imagines recurrere solent. Cujus rei, quæ sint commoda & incommoda probe intellexit versutissimus ille MAZARI-NUS, quando du premier pas, sive de primo accessu tam sollicitè præcepit. Res dignissima est quæ probe meditetur, sed non est meum prolixè eam pertractare.

§. V. *Tertium* quod de imaginatione observamus est *inquinatio*, quæ ei tribui solet, illa namque, quamvis non sit imperium proprie sic dictum, est tamen tantæ efficacæ, ut per illud reliquæ mentis facultates in suo exercitio nonnunquam impediuntur. Scilicet intellectus per motus vehementiores imaginationis ita afficitur, ut resistere illis multoties non possit, sed una abripiatur, & directione spoliatur sua. Nam tenebris quasi involvitur, ut de iis, quæ imaginationi grata aut ingrata sunt, non secundum veritatem judicare possit, sed imaginationi haud raro obsecundet, approbando quæ ei grata, rejiciendo quæ ei ingrata sunt. Pari itidem ratione voluntati vis quasi infertur, ut motibus imaginationis se accom-

modare necesse habeat, & totam se ad illius nutum applicet. Imo de sensibus externis experientia docet, quanta imaginationis in eos vis fit, siquidem imaginatione turbata, homines saepe & videre & audire se putant, quæ revera nec audiunt nec vident.

§. VI. *Quartum* quod de imaginatione notandum, est vis illa quam in alios homines habet, ad quos illius, ut ita dicam, imperium certa ratione se extendit. Non enim solum in facultates mentis sensusque sua uniuscujusque imaginatio imperium exercet, sed & cum aliis se communicat, unde *communicatio imaginationis* appellari sivevit. Constat enim experientia, quæ proferuntur ab hominibus vividiorè imaginatione præditis, aut vehementer concitatis, facili negotio aliorum imaginationem ita excitare, ut idem velint, dicant & sentiant, quæ vident illos velle, dicere ac sentire. Nec tamen vivam tantum vocem, motusque præsentis hi effectus sequuntur, sed scriptis etiam communicatur, unde vis illius satis luculenter patet. Nunc, quæ ab imaginatione possint in Theologia oriri mala, paucis ostendemus.

§. VII. Quando igitur *primo* diximus, imaginationem se omnibus nostris immiscere cogitationibus, ut vix de re quapiam cogitemus, cujus imaginem aliquam mens simul formare non annitatur, hinc primo est, quod multi spiritualitatem DEI non concipiant, sed DEum sub figura humana, senisque morosi instar sibi repræsentent, & nescio an idololatria hinc incrementum ceperit, quod populi DEos voluerunt sensibiles, & in imaginationem incurrentes. Hinc etiam est, quod sufficiens rerum Theologicarum notitia non omnibus possit instillari, quia notiones illarum non cadunt sub imaginationem. Hinc etiam *idea immensitatis, omnipræsentia &c.* non ab omnibus rite apprehenduntur. Hinc etiam est, quod nonnulli in eam inciderint amentiam, ut DEum non crederent, quia non videbant, contra quos nervose disputat HUGO GROTIUS. *de V. R. C. lib. 1. §. 2.* & egregie ostendit, si capere DEI naturam nostro ingenio non possu-

possumus, ideo talem esse naturam negandum non esse; Esse enim id inferioris cujusque proprium, ut, quæ se superiora atque excellentiora sunt, capere non possit, & quæ sequuntur.

§. IIX. Nec dubitamus etiam *associationi* imaginum aliquam in corruptionem Theologiæ vim tribuere, et si eam non nisi indirectam, probe tamen attendendam & ponderandam. Fieri enim sane potest, ut quando e.g. librum aliquem aut doctrinam in eo contentam ab alio recensitam legimus, simul & libro, & auctori & opinioni ejus magna confletur invidia, & tanquam erronea & periculosa exagitetur. Illico mens ideam invidiæ cum re ipsa conjungit, & quoties postea vel Auctoris, vel libri, vel dogmatis illius injicietur mentio, semper idea invidiæ & odii simul recurret, ut, nisi homo prudenter sibi caveat, per hanc idearum associationem ad veritatem oppugnandam possit adduci. Contra si opinio quædam nobis cum laude & encomio proponatur, aut ab eis, quorum magna est apud nos auctoritas, si vel error sit, tamen ad eum defendendum erimus proni.

§. IX. Idem fere habendum est de *communicatio-
ne* imaginationis. Si enim, qui sententiæ alicujus defensionem in se suscipit, illam sibi ipsi prius viva & forti imaginatione exhibeat, deinde eam sermone apto, & vocabulis emphaticis exprimat, sive loquatur, sive scribat, facile in animis audientium & legentium similes excitabit ideas, motus & affectus, atque ita percellet, ut neglecto examine ad idem laudandum & extollendum rapiantur, non habita ratione, sintne quæ dicuntur veritati conformia nec ne? Atque hic rursus magnum pondus habet auctoritas eorum, qui verba faciunt, & nos eo citius ad assensum præbendum impellit. Atque sic videmus qua ratione communicatio imaginationis possit esse causa corruptæ Theologiæ.

§. X. Nullæ vero hic graviore oritur in Theologia corruptiones, quam ex eo, quod diximus de *inquinatio-*

tionem imaginationis, & quod mens interdum directione imaginationis spoliatur, Hinc enim duo capitalia illa vitia Enthusiasmus & Fanaticismus, quibus haud scio an dentur alia pejora. Et per *Enthusiasmum* quidem intelligitur, quando homines exorbitantias & deliria imaginationis pro motibus & oraculis divinis habent, eaque, seposito puriore rationis & revelationis dictamine, tanquam fidei morumque normam sequuntur. Quam vero graviter hac ratione in Theologiam peccetur, res ipsa loquitur. Est enim Enthusiasmus injurius in revelationem divinam, quam contemnit, & ejus loco præstantius aliquid certiusque sibi invenisse videtur. Nota etiam sunt verba B. LUTHERI, quibus malignitatem Enthufiasmi describit. *Enthusiasmus, inquit, est omnium haeresium, & Papatus, & Muhamedanismi origo, vis, vita & potentia.*

§. XI. *Fanaticismus* interdum ab Enthufiasmo distinguitur, interdum pro ejus synonymo habetur, certe magnam inter se habent cognationem. Patet tantum latius aliquanto vocabulum Fanaticismi, & adhibetur generatim de hominibus quibuscunque profanis, qui absurdas, & nullo fundamento innixas opiniones propugnant, licet non sint ecstatici, & revelationes jactent, lumenque primogenitum, in homine latens, quod magis Enthufiatarum est. Quanto pere vero Fanaticismus corrumpat Theologiam, ipsa ejus definitio abunde docet. Denotat enim *complexum variarum incertarum & ineptarum opinionum*, & non nisi illis tribuitur, qui adeo omnem intellectus & judicii usum respuunt, ut furiosis, & qui mentis non satis compotes sunt, æquiparari debeant. Nemo autem est, quin statim sentiat, posse hæc omnia cum vera Theologia cognitione nullatenus consistere, sed ei potius e diametro esse contraria, adeoque *Fanaticismum* corrumpere Theologiam.

§. XII. Non foret difficile copiosius hoc pertractare argumentum, & adducendo dogmata Enthufiasticis & Fanaticis familiaria, singulorum a vera Theologia discrepantiam ostendere: sed sufficiat allegasse verba piorum nostrorum confessorum,

rum, quibus, quo loco in Ecclesia habendi sint Enthufiasta? definiunt: FORM. CONCORD. p. 978. *Magna feueritate & pio zelo redarguendi funt Enthufiasta, neque in Ecclesia DEI ferendi, qui somniant, DEum sine omnibus medijs, sine auditione verbi diuini, & sine usu Sacramentorum hominem ad se trahere, illuminare, iustificare & saluum facere.* Hæc enim verba & Orthodoxorum de Enthufiastimo sententiam, & quod in articulis maximi momenti gravissime corrumpat Theologiam, satis declarant, ut ulterius aliquid addere non necesse esse videatur.

§. XIII. Nihil igitur restat, antequam, huic capiti colophonem imponamus, quam ut adjiciamus aliquid de *af-fectibus*: concurrunt enim & illi ad corruptionem Theologiæ. Definimus autem affectus cum *Celeberr.* BUDDEO. *Theol. Mor. part. 1. cap. 1 Sect. 6. §. 5.* quod sint *commotiones voluntatis, ex representatione objectorum, cum relatione quadam ad nos spectatorum, sub ratione grati aut ingrati, & hinc spirituum animalium excitata agitatione ortæ, & iterum extraordinarium motum sanguinis efficientes, ad hominis conservationem comparatæ.* Non attingimus jam ea quæ pertinerent ad naturam affectuum explicandam, sed unice ad effectum eorum, respicimus, utpote qui solus ad institutum nostrum facit.

§. XIV. Est vero *effectus* ille probe observandus, quod intellectum obnubilent, ut nec verum perspicere, nec recte judicare possit. Si sapientum hac de re effata colligere placeret, ingens eorum posset adduci numerus. Nota sunt verba BOETHII. de *Consolatione Philosophica.* *Nubila mens est, vinetaque frenis, hæc ubi regnant.* Præclara item CICERONIS. *lib. 3. Tusc. Quæst. Quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum: & reliqua partes totumve corpus, a statu cum est motum, deest officio suo & muneri: sic conturbatus animus non est aptus ad exsequendum munus suum.* Nec minus egregie C. SALLUSTIUS: *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira asque misericordia, (addo, & omnibus affectibus de jure) vacuos esse decet.* Haud facile animus verum providet, ubi illa officiant. Imo nobis ipsis sumus conscii, prout bene aut male

male erga rem animati sumus, ita eam plerumque laudandam nobis aut vituperandam videri.

§. XV. Quod igitur ab affectibus misere corrumpatur Theologia, nemo nisi omnium rerum ignarus ignorare potest. Quando controversiis Theologorum affectus se immiscent, pedibus conculcatur veritas, & qualibet pars pro sententia semel arrepta pugnat, fitne veritati conformis nec ne, parum pensi habetur. *Si quis certa in religione secta addictus sit, sunt verba Clar. BUDDI. Theol. Mor. part. 1. cap. 1. Sect. VI. §. 14. in nota, & cause adfint, qua, ut eam sectam amet, efficiunt, nihil tam absensum, insipuum, turpe, cum ratione aut verbo divino pugnant, in ea deprehendetur, quod non laudabile aut ad minimum excusabile censeat. Contra si quis contra homines secta qua displicet, addictos, odio incensus sit, nihil nisi impium, execrabile, stultum, in iis sibi deprehendere videbitur. Conferantur & reliqua quæ sequuntur. Ad specialio-rem de affectibus tractationem descendere non vacat, quare hic subsistimus, & simul ea, quæ de causis corruptæ Theologiæ naturalibus dicenda erant, concludimus.*

C A P. V.

De Causis Corruptæ Theologiæ Moralibus.

Conspectus.

§. I. Quid intelligatur per Causas Morales? eò referentur.
 §. II. Educatio.
 §. III. Methodus studiorum perversa.
 §. IV. Τέχνος παιδείας.
 §. V. Studium Sectæ.
 §. VI. Hæretici.

§. VII. Hæresiopoija. §. VIII. Non tolerantia dissensus.
 §. IX. Concilia. §. X. Agitatio quaestionum subtilium & inutilium.
 §. XI. Audacia in determinando.
 §. XII. Abusus Metaphysicæ.
 §. XIII.

- §. XIII. Commixtio Philosophiæ Platoniciæ cum religione Christiana. §. XIV. Attemperatio Theologiæ ad aliorum Philosophorum dogmata. §. XV. Doctores Scholastici. §. XVI. Studium allegoria-
- rum. §. XVII. Corruptæ artes atque scientiæ humanæ. §. XIX. Logomachia. §. XIX. Fraudes in disputando adhibita. §. XX. Papatus. §. XXI. Conclusio.

§. I.

Accedimus nunc ad causas corruptæ Theologiæ *Morales*, quas ideo hoc nomine appellamus, quia certum hominum institutum & mores, vel certam temporum conditionem, vel ejusmodi quid præsupponunt, ideoque a causis naturalibus distinguendæ fuerunt, utpote quæ immediate fluunt ex ipsa hominis natura, & facultatum mentis constitutione, neque ullam rem aliam ad producendum effectum prærequirunt. Ad quas vero nunc progredimur, in eo ab illis differunt, quod certis nituntur prærequisitis, unde nec inter omnes & omnibus temporibus eadem fuerunt, sed inter alios & aliis temporibus, aliæ itidem fuerunt atque diversa. Quod reliquum est, facile quidem intelligimus, ad argumentum hoc solide pertractandum opus fore accurata & plena historiæ sacræ cognitione, ideoque ipsi dolemus, præter levem adumbrationem eorum, quæ hic tractari debebant, nihil a nobis allatum iri: nihilominus tamen maluimus aliquid dicere quam nihil, & vel ipsam nomenclaturam errorum non omni utilitate carituram speramus. Unum autem est, quod B.L. monemus, quando hic inter causas commemorari videbit quasdam ambiguas, id est tales, quæ non in sua natura, neque in universum malæ sunt, tum eas non nisi certo respectu a nobis damnari sciat, hoc est propter abusum, qui eas comitatur. Sic ad rem ipsam accedimus.

§. II. Initium merito facimus ab *educatione & institutione*, quoniam hæ ambæ multorum aliorum sunt principium & fundamentum. De utriusque vi & efficacia in genere spectata,

G

Stata,

Etata, jam supra egimus, hic de institutione est observandum, eam ubique fere locorum ita esse comparatam, ut quisque placita Sectæ, cui addictus est, auditoribus instillanda putet, & quo melius hic scopum attingat, eo melius munere suo functus sibi videatur. Hinc fieri necesse est, ut, quicumque incidunt in Præceptores doctrinas erroneas profitentes, iidem quoque falsis imbuantur opinionibus; intellectus enim cedit primo occupanti, & primas quasque recipit ideas. Accedit quod discipulorum animis plerumque injicitur timor, & conscientia formatur scrupulosa, si vel minimum dubitare audeant de iis, quæ a Magistris credi & defendi vident, imo quamlibet erroris suspicionem pro tentatione Satanæ habendam esse erudiuntur. Sæpe etiam per educationem animos reddi indociles, præsumtuosos, pugnaces, dissensus impatientes, &c. non est quod multis commemoremus.

§. III. Magnam cum prava educatione connexionem habet *Metho d'us studiorum perversa*, quæ a multis adhibetur. Video huc referri a Cel. PFAFFIO consuetudinem studium Theologicum a collegiis Theticis incipiendi: ita enim ille in *Diss. 1. de Præjud. Theol. S. 10.* In Theologia dogmatica quam appellant *systema fidei primum formatur ad confessionem Ecclesie, quam quisque profitetur, exactum, & deinde demum quaruntur Scriptura dicta, quibus dogmata pro veris jam venditata probentur, id quod præpostero omnino ausu fit:* additque nota b. se malle, ut a studio sacre Scriptura sive exegético initium faceret sacrarum litterarum studiosus, antequam ad thesion fidei probandam, sive Theologiam theticam provolaret. Vix equidem credo hæc omnibus probatum iri, sed quicquid demum sit, est sane indubium, falsas heterodoxorum opiniones hoc modo eò feliciter propagari, licet propterea legitimus usus non sit tollendus. Cæterum ad præcipua discipulorum vitia pertinere arbitror *neglectam præparationem a studiis philosophicis, & emendationem facultatum mentis ex eis hauriendam.* Sunt qui hæc flocci pendunt, & absque iis se satis aptos, si non aptiores studio Theologico putent, quod quomodo probari possit, certe non video. Ad meum potius iudicium Scriptura sacra emendatam supponit ra-

nit rationem, adeoque subsidia, quæ ex ea peti possunt, non respuit, ut potius cognitionem naturalem haud raro supponat, & ea tantum suppleat quæ ex propriis viribus homines capere non poterant. Grave etiam discipulorum vitium est, si *memoria magis quam iudicii* rationem habent, operamque dant, ut ea quæ traduntur, memoriæ potius mandent, quam ut intellectuione apprehendant. Culpani denique & ii, qui tanta veneratione magistros suos prosequuntur, ut nil nisi verum ab ipsis dici posse putent, & licet verbis forte *infallibilitatem* eis tribuere non audeant, re ipsa tamen ita se gerunt, quasi veritatem penes eos solos stare arbitrentur. Plura dabit DN. PFAFFIUS. in *Dissert. De Vitiis eorum qui sacris operantur &c.*

§. IV. Τρόπος παιδείας, qui a multis adhibetur, non sine causa hic videtur commemorandus. Intelligitur per hanc vocem certa quædam ratio dogmata fidei tradendi, & quæ in quolibet articulo maxime notanda putantur, ita inter se combinandi, ut mutatis verbis a posterioribus eadem semper dicantur, quæ a prioribus dudum dicta fuerunt, quod ut in ipsa doctrina fidei, quæ semper una ac eadem est, decet & exigitur, ita in frivole sectandi studio corrigi necesse oportet. Liceat allegare querelam DN. PFAFFII ex *Diss. de Vitiis eorum qui sacris operantur Sect. 1. §. 6.* Hoc est, inquit, quod reprehendimus, hoc est quod deploramus, esse qui egregio præstantissimoque orthodoxie vocabulo donent subinde opiniones Doctorum privatas, usu tandem ubiq; receptas, ad exagitandas aliorum sententias, earumque mentes sub jugum mittendas, quæ saltem conficte sunt, & in nudis argutiis scholasticis, & τρέπω παιδείας academico, ad lites serendas apprime faciente, consistunt. Damnosissima sunt mala, quæ his verbis delineantur, modo sine partium studio, aut alio quodam animi affectu ita pronuntiata viderentur. Interim nemini mirum videri debet, quod τρέπων παιδείας plurimum, sine iudicio affectatum referamus ad causas corruptæ Theologiæ. Est enim velut palladium, & sacra sectarum ancora, ad quam sartam tectamque conservandam, omnium curæ diriguntur. Sic autem recepti semper

propagantur errores, & Theologia inter multos manet corrupta.

§. V. *Studium sectæ damnatur* quidem in Scriptura sacra, quando hæc *omnia probare, & bonum retinere jubet* 1. Theff. V, 21. nihilominus magnas non culpa orthodoxorum, sed frivole contraeantium, in Theologia excitat tragædias. Sunt proh dolor! Christiani in varias partes divisi, quarum unaquæque se ad apicem puritatis dogmaticæ pervenisse putat, & nulla in re aliis cedendum arbitratur. Hinc lites feruntur in infinitum, unde quaq; pugnatur tanquam pro aris & focus, dedignantur placide se invicem audire, quæ cuique non placent, exagitat, rejicit, damnat; adversarii odio habentur, scriptis impetuntur, neque exigua hinc reportatur gloria: nunquam tamen sic vincere potest veritas, sed quod antea creditum erat, porro creditur, & res eodem manent loco. Hac methodo Sæctariorum parum consultum fuisse puritati doctrinæ Christianæ, ipsa adhuc docuit experientia, nec bene consuli potuit, quia secundum eam veritas ad auctoritatem humanam exigitur. Altas tamen hoc malum egit radices, & difficile dicta est, quanto cum ardore hominum animi ferantur ad ea credenda & defendenda, quæ a juventute usque credita fuerunt. Neque tamen, semper zelus iste est κατ' ἐπιγνωσιν, sed communis calcatur via, & opiniones partis sine ullo discrimine sacræ habentur, damnantur contra, quæ nobis opponuntur, ex quibus omnibus fit manifestum, studium sectæ pertinere ad causas corruptæ Theologiæ.

§. VI. *Hæretici* cum ipsa fere cæperunt religione Christiana, nec Apostolorum ætas ab illis immunis fuit: deinde insequentibus sæculis novæ semper hæreses enatæ, earumque tandem numerus in immensum ferme excrevit. Quantas etiam in Ecclesia omni tempore civerint motus, neminem nisi omnium rerum ignarum fugere potest, & non nisi singulari providentiæ divinæ tribuendum, quod doctrina Evangelii apud aliquos semper pura & illibata remansit. Et licet forte nullus fidei Christianæ articulus sit, de quo non falsæ extiterint quorundam opiniones, præ cæteris tamen hæreticorum quasi conspiravit furor, ad ipsum fidei fundamentum evertendum &

Chri-

CHRISTUM, qui est *lapis angularis totius edificii* rejiciendum & transformandum. Hic piis sanæ doctrinæ assertoribus semper pugnandum, hic omni cura & industria enitendum fuit, ne CHRISTUM MEDIATOREM *inter DEUM & homines* ab hæreticis transfigurari aut tolli paterentur. Vix tamen ulli alii latius disseminati, aut pertinacius defensi fuerunt errores, quam hi, qui fuerunt pestilentissimi, quod exemplis *Arrianismi, Nestorianismi*, aliorumque constat. Conferat cui volupe est, Scriptores historiæ Ecclesiasticæ, & per omnia secula videbit ab hæreticis corruptam fuisse Theologiam.

§. VII. *Heresiopoija injusta*, (nam criminationem *In-differentiarum*, qua zelum pie fervidorum Doctorum & Mystarum, nomine Heresiopoijæ infamant, non probamus.) est alterum extremum, in quod vel per zelum indiscretum, vel per ignorantiam *Historia Theologica*, vel per malitiam quidam inciderunt, unde etiam gravissima in Theologiam oborta sunt mala. Sunt qui contendant, *Patres* primorum seculorum huic jam vitio fuisse deditos, & innocentes interdum hæreseos reos fecisse, ideo, quod nutui suo statim se subicere noluerint, quam sententiam fovent ARNOLDUS in *der Kirchen- und Ketzer-Historie* THOMASIVS in *Caus. circa studium Hist. Eccl.* ubi plus semel Patres hæreticos appellat, aliique. Quo jure istud quoad omnes singulosque fiat, suo nunc relinquimus loco, neque tempus nunc suppetit, huic ut nos immisceamus controversiæ, & ingenuis viris ad nauseum constat, *Arnoldum* partium studio misere ac horride multoties fuisse abreptum. De *mediis* vero seculis dubio caret inter omnes, qui præjudiciis non penitus occæcati sunt, Clerum papalem vitio huic nimis fuisse addictum, & qui vel hiscere audebant contra receptas opiniones, illico in hæreticorum Catalogum esse redactos. Provocamus ad *restes veritatis*, qui ob veritatem assertam indignissimis modis a Clero tractati, & pro fœdissimis hæreticis venditati fuerunt. Hinc factum, ut veritates complures diu opprimerentur, & corrupta longe lateque regnaret Theologia.

§. IIX. *Non tolerantiæ dissensus non specie sed gradu differt*

differt ab hæresi poia, estque vitium, cujus non adeo rara sunt vestigia. Non ii quidem sumus, qui infrenatam cogitandi libertatem introductam cupiamus, exigenda enim omnia sunt ad normam & præscriptum verbi divini, operaque danda, ut cum eo quam exactissime conveniant: imo *Libris Symbolicis & Agendis* summa industria advigilandum est, ne scandalis aperiantur porta, sicut & de *publica professione & Exercitio Religionis publico*, quæ in *Rom. Imperio* sunt constituta, ardore pio & curis solertissimis sunt custodienda atque conservanda; sed tamen ideo non est imperium exercendum in conscientias, aut postulandum, ut omnes se accommodent ad voluntatem unius aut aliquorum, & ediscendi gloriam sibi tantum relictam putent. Quam vere interea cuique liberum arbitramur, ea proferre, quæ veritati conformia esse arbitratur, nec propterea a quoquam in iudicium vocandum cæteris paribus, ducimus; tam certe *bonus ordo* in Reipublica non est turbandus, ad cuius constituta componere se tenetur omnis in eadem vivens aut degens. Aberit & facile a pio & honesto viro insectatio leviter dissentientium, nec quenquam delectabit numeros syllabarum insidiosè eventitare. Eripietur etiam plena gratia omnis vera causa conquerendi iis, qui articulos fidei ita cumulati dicunt, ut quivis error, si ita quidem nobis videatur, fidei statuat esse contrarius: it. successu temporis dogma quoddam articulum fidei evadere posse, quod antea ad articulorum fidei seriem non pertinuerat. vid. PFAFFIUS. *de Præj. Diss. 1. §. 20. not. K.* Modo hoc simul candide accipiatur, adversus omnes etiam minutissimos errores, honestiori quidem & moderatori modo, mascule tamen ac sincere decertandum esse, imo sapius hæreses ac errores, qui quidem initio non sunt deprehensi ponderis aut momenti gravioris, cum die accepisse successus & augmenta omnino detestanda.

§. IX. Si *Concilia* a quoque huc referamus, nihil faciemus, quod sit periculosum, aut a veritate alienum. Suo jam ævo de Conciliis judicavit GREGOR. NAZIANZ. *Epist. 55. ad Procopium*: Nullum se *Conciliorum exitum* *Χρησὸν* felicem deprehendisse, sed malum potius inde exasperatum, quam imminutum, habuisse
πρὸς τὴν

προσθήκην κακῶν *potius quam λύσιν.* Quodsi hæc IV. jam seculo dici potuerunt, & a Viro, cujus maxima semper in Ecclesia fuit auctoritas, dicta sunt, nihil mali inde pertimescendum, si nos quoque & testimoniis & exemplis adducti affirmare audeamus, esse aliquam Conciliorum culpam in corrumpenda Theologia. Intelligendum autem hoc, ut nemo non videt, non de Conciliis in universum, sed de aliquibus tantum. Illis enim, in quibus veritas asserta, & contra hæreticorum conatus confirmata fuit, manet sua laus, debitaque reverentia, & tantum abest, ut ea vituperemus, ut potius summo honore prosequamur. Præter ista autem Concilia Ecclesiæ imprimis salutaria, habita sunt & alia, in quibus veritatum loco errores stabiliti sunt, & in mundum introducti, & hæc sunt, ad quæ in præsentia respicimus. Tale e.g. concilium fuit Sec. II. Nicenum II, vulgo Oecumenicum VII, in quo decretum, ut imagines non tantum haberentur ad usum historicum, sed & exponerentur *ad cultum religiosum*, in templis, osculo exciperentur, adorarentur, cereis, suffitu, aliisque ritibus honorarentur. Tales etiam Sec. XII. Synodi complures in Gallia contra *Albigenses & Waldenses*, in Britannia contra *conjugium Sacerdotum* &c. Tale etiam Sec. XV. Concilium Constantiense, in quo NON OBSTANTE institutione Christi & consuetudine primitivæ Ecclesiæ usus Calicis in Sacra cœna Laicis prohibitus & interdictus. Tale denique Concilium Tridentinum Sec. XVI, quod velut compendium est multorum errorum.

§. X. *Agitatio questionum subtilium & inutilium* nova est causa, per quam multæ corruptelæ in Theologiam sunt introductæ. Præclare HUGO GROTIUS, lib. 6. de *V. R. C. S. I.* Sicuti olim *arbori vite prelata arbor scientia maxima dederat mala, ita quoque curiosam eruditionem pietati antehabitam, & ex religione artem factam: cui deinde consequens fuerit, ne ad exemplum eorum, qui turrim Babylonicam adificabant, affectatio temeraria rerum sublimium dissonas locutiones & discordiam pareret.* Mirum omnino, quod tantus mortales agat pruritus plura sciendi quam par est, & quod paucissimi hic intra justos limites se contineant, quamvis nil nisi certif-

certissima damna inde consequi soleant. Cautiores hic Christianos reddere debuerat exemplum EVÆ, matris omnium viventium, quæ cum nimis sapere vellet, se & omnes posteros in maxima mala præcipites dedit, ut inde discerent μή ὑπερφρονεῖν, κατ' ὃ θεὸς φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν Rom. XII, 3. sed curiositatem semper in hominibus fuisse & esse residuam, plurima omnium tempora exempla demonstrant. Pertinent autem ad quæstiones inutiles omnes, quæ nec institutioni nec ædificationi inserviunt, cujus generis ex mente DU PINII. in *Meth. Stud. Theol. cap. III.* sunt 1) quæ τὸ quomodo urgent in mysteriis, neque in Scriptura sacra, ut decidi possint, fundamentum habent. 2) Quæstiones de mera possibilitate, e. g. An Spiritus sanctus a Filio non procederet, si non esset persona a Filio distincta. 3) Quæstiones quæ de rebus moventur, neque per revelationem, neque per rationem liquido probandis e. g. de modo cognitionis angelorum. 4) Quæ de nudis nominibus moventur e. g. an Theologia sit scientia. 5) Quæstiones alienæ & Philosophicæ, ex Dialectica vel Metaphysica decerptæ.

§. XI. *Audacia in determinando* plerumque concomitata est ventilationem quæstionum subtilium. Non enim in rebus Philosophicis solum homines turpe sibi ducunt aliquid ignorare, sed & in Theologia quidam ita se gesserunt, quasi nihil tam abstrusum putarent, quod explicari non posset. *Non dubitarunt*, inquit LUD. VIVES. lib. I. de *Caus. Corr. Art.* ut quæque in mentem veniebant, ea continuo ingenti cum supercilio asseverare: deformosissima portentæ sunt illata in Jus civile, in Theologiam, in Poëtas in Oratores: & ea erat sive confidentia, sive socordia, nunquam ut crederent futurum ullum, qui ea refelleret, quia refelli in præsens non poterant. Quanto melius illi, qui nihil audent determinare præter ea, quæ a Spiritu divino revelata sunt, nam si aliter fit, & largissima inde contentionum materia, & vix evitabile corruptelæ periculum. Gravius est malum atque peccatum, quando cum hæc in determinando audacia conjunctum, ut pro oraculis di-

viniis

vinis ejusmodi opiniones privata venditentur, nam fidei normam præscribere soli convenit Deo.

§. XII. *Abusus Metaphysica non est ultima causa multorum malorum in Theologia. Audiamus Metaphysicos tales describentem JOH. CLERICUM, cujus verba hæc sunt, in Entretiens sur diverses matieres importantes de la Theologie Part. 2. Entret. 2. Nos Metaphysiciens ont trop de vanité pour avouer simplement, qu' ils ne savent pas plus que les Apôtres, & pour ne pas raffiner philosophiquement tout ce qui leur passe par les mains. Ils veulent absolument penetrer au dela du voile qu' il a plu à Dieu de mettre entre nos yeux, & les vérités qu' il n' est pas nécessaire que nous sachions. Et quoique leurs yeux soient trop foibles, ou le voile qu' ils s' efforcent de percer, trop epais, ils raisonnent de ce qui est encore au de là de ce voile, comme s' ils l' avoient vu avec la derniere clarté; & dans les mouvemens furieux de leur imagination troublée, qui leur fait voir mille choses, que personne n' a jamais vues, ils pretendent, de nous imposer la necessité de recevoir comme des oracles tout ce qu' ils disent, & de canoniser, pour ainsi dire, les termes barbares, qu' ils ont inventés. Ils prononcent anatheme non seulement contre ceux qui refusent de croire le fonds des choses, mais encore contre ceux, qui font scrupule de se servir de mots qu' ils n' entendent pas, & dont les Apôtres ne se sont jamais servis; quia vocabula non ediscunt, heretici judicantur. Il semble par leur conduite qu' il regardent leur Theologie comme une science Magique, qui est de nul effet, si l' on ne se sert de certains termes estranges, que la Superstition a comme consacrés.*

§. XIII. *Commixtio Philosophia Platonica cum religione Christiana dedit in primitiva Ecclesia plurima mala, tum quia nefandæ hæreses inde exortæ, tum quia Patrum quidam ejus commentis Theologiam corruperunt. Notabile est hanc in rem dictum TERTULLIANI lib. de Anima Cap. 23. Doleo bona fide Platonem omnium hereticorum condimentarium factum. Eundem in modum illustre Jenensium decus JO. FR. BUDDEUS in Proleg. Theol. Mor. §. XXIX. In primitiva Ecclesia contigit, ut nonnulli Platonica Philosophia innutriti ad sacra Christianorum accederent, & hinc Platonica dogmata, formulasque loquendi christiana religionis scitiis admiscendo, aut hæreses portentosas excitarent, aut morale mysticam*

H

mysticam

mysticamque doctrinam iisdem contaminarent. Quibus etsi patres quidam se opposuerunt, ex nimio tamen Platonica Philosophia amore, hi ipsi quoque placita quadam formulasque loquendi Platoniorum retinuerunt, & sacrae, praecipue morum doctrina adaptarunt. Digna etiam sunt quae hic apponantur verba P. D. HUETII. *Origen. lib. 2. Cap. 1.* Unum ergo pra reliquis Platonem admiratus est (Origenes,) sic ut christiana dogmata ad Platonica doctrinae leges, non ipsam Platonis doctrinam ad Christi effata accommodaret. Exemplo suo Origenem ea compulit Philo Judaeus, totus ad Platonis exemplum compositus; non Platoni nimium tribuendo duntaxat, sed scripturam etiam allegoriis perpetuis explanando. Compulit & praeceptor illius Clemens Alexandrinus, Academiae pigmentis res christianas illustrare suctus, quod & maxima pars fecit veteriorum patrum, sed parcus & verecundus. His itaque Platoniorum deliriis sincerum doctrina Christiana vas postquam incrustavit Adamantinus, ex illo doctrina ejus corrupta est, & profanis imbuta erroribus, unde infinitis jactatus conviciis, & querelis in summas incidit calamitates, & laudem meritis partem decoxit.

§. XIV. *Attemperatio Theologiae ad aliorum quoque Philosophorum dogmata non latiores protulit fructus.* Scitum est Cardinalis PALLAVICINI dictum: *Senza Aristotele noi mancavamo di molti articoli di fede.* De praecipuis autem Philosophorum sectis rem ita complectitur JOH. CLERICUS *Artis Crit. part. 2. Sect. 2. Cap. II. §. 11. & 12.* Veteres Christiani, qui per aliquot secula Platonici fuerunt, cum legerent Scripturam, ut ex ea Religionis Christianae Systema quoddam colligerent, Platonicas suas notiones scripturae notionibus ubique miscuerunt, & quod in scriptura non legebatur, quodque credi volebant, ex ea deduxerunt consecrariis, non ex uno fonte derivatis, sed ex Platone, aequae ac ex Prophetis. Cum vero Occidentales Christiani Aristotelis scripta terere, & admirari coepissent; tum quoque ceperunt Peripatetica dogmata miscere cum Scripturae decretis, atque ex illa mixtura infinita consecraria deducere, quibus constata est Scholastica Theologia. At nunc variis in locis, ubi in pretio est Res. Cartesii Systema Philosophicum, miscentur ejus opiniones cum iis, quae ex Prophetis & Apostolis discere licet, atque inde corpus ipsam Theologiae, quasi ex sola

Scriptura

Scriptura collectum conficitur. Quod Scriptura de Deo ejusque natura nos docet, ex Platone interpretati erant Veteres, ex Aristotele vero Scholastici, nunc ex Cartesio multi interpretantur, & ut præterita secula pro ibrida illa Theologia pugnarunt scriptis, anathematibus, legibus, edictis, quasi pro meris oraculis divinis: invenientur forte olim, qui pro Cartesiano-Christianismo, ut sic loquar, quasi pro aris & focis, decertent. Imo vero jam inventi sunt, in perspicacissimi hujus sæculi luce, qui invidiam facere nequissime conentur iis, qui Apostolos ex Cartesio interpretari nolunt; eosque traducunt quasi negarent dogmata, quorum Cartesianas interpretationes repudiant.

§. XV. De Doctoribus Scholasticis & Corrupta per eos divinarum humanarumque rerum scientia integrum librum conscripsit ADAM TRIBBECHOVIUS, ita ut non opus sit multis illud probare. Non possum tamen quin hic apponam quæ habet MOULIN in Tr. de la paix de l'ame liv. 2. Chap. XLIX, Il ya des etudes qui n'ont guerres d' eclat, & encore moins de prix. lesquels neanmoins par leur mine severe passent pour sages & serieuses: Telle est la Philosophie Scholastique, qui par trois ou quatre cens ans a regné dans nos ecoles, & qui a traité la Theologie à sa mode. Car comme si les Scholastiques eussent voulu outrepasser les Soldats de Pilate, qui mirent sur la tête de nôtre Seigneur une couronne d'epines, ils ont revetu la doctrine Chretienne d'epines depuis les pieds jusqu'à la tête, & ces epines sont si epaisses, qu'eux même ont bien de la peine à voir le jour à travers: Leurs esprits ressemblent aux Labyrinthes, qui ont quantité de detours & de traverses en fort peu de terre. Car le sçavoir de ces siècles là etant confiné dans un bien petit espace, ces Docteurs resolu & irrefragables, (comme ils s'appellent l'un l'autre) ne pouvant tirer de langue, & cependant etant ardens d'aller, ne faisoient que tourner, & que tracasser dans leur limites etroits, & coupoient mille fois leurs chemins. Il n'est pas croyable combien il y a peu à apprendre en toute cette masse de subtilité epineuse. Facile foret plura ejusmodi cumulare, sed unum sufficere potest.

§. XVI. Studium Allegoriarum multum etiam obfuit solidiori cognitioni veritatum Theologicarum, & non parum nocuit Religioni. Fuit enim olim tempus, quo Al-

legoriæ omne ferebant punctum in explicanda Scriptura sacra, & Doctores Ecclesiæ methodum hanc unice adamarent. Secundo jam sæculo hunc obtinuisse morem ex Historia sacra constat, & de ORIGENE Sec. III. Doctore supra jam est monitum, illum totum fuisse in Allegoriis: imo posterioribus etiam sæculis semper maxima cura fuit imitandi S. Patres. Quid autem de hoc instituto sentiendum sit, recentiores sufficienter demonstrarunt, atque ex rei ipsius consideratione patet. Tantum enim abest, ut secundum hanc methodum vera & solida possit acquiri scientia Theologica, ut potius sepositis fundamentis necessariis, vagæ haud raro instituantur applicationes, & iudicii solidaque eruditionis defectus prodatur. Hinc nec ipsi Pontificii, acerrimi licet alias Patrum defensores, negare audent, male omnino a Patribus factum, quod plus curæ adhibuerint Allegoricæ quam litterali Scripturæ explanationi. Per allegorias enim incondite in Scripturam illatas, (de iis enim, quæ ex Scriptura efferuntur reverenter omnino statuimus,) non eruitur verus Scripturæ sensus, sed pro arbitrio finguntur accommodationes, quæ quidem interdum utiles, sed nihil ad intelligentiam textus conferunt. Quando autem Scriptura per meras explicatur Allegorias, tunc dogmata ipsa fidei negliguntur, & quibusvis corruptionibus panditur via. Est etiam animadversum Doctores illos, qui dediti fuerunt Allegoriis, parum aptos fuisse defendendæ Religioni Christianæ contra objectiones Gentilium.

§. XVII. *Corrupta artes atq; scientia humana* haud parum labis, velut ex contagio asperferunt Theologiæ. Utrarumque enim magna est connexio, hinc defectus scientiarum ex commercio communicantur Theologiæ, De aliquibus illud ut ostendamus, factum e. g. ex corrupta ignorataque Logica, ex notionibus obscuris in quibus acquiescebant, ex imprudentia consectaria ex præmissis legitimo modo deducendi, ut nec Theologi semper claras sibi formarent ideas, & interdum inepte ratiocinarentur, falsasque proin-

proinde opiniones stabilirent. Corrupta quæ antiquitus obtinuit *eloquentia*, ad religionem traducta, ei in multis nocuit, dum ob ineptam affectationem figuratæ & phaleratæ dictionis res aliæ incautius expressæ, aliæ obscuritatibus involutæ sunt, ut nec hodie in omnibus antiquorum opiniones perspicere liceat, ob figuratarum dictionum molem, sub qua mens illorum delitescit. Notitia *linguarum orientali-um* necessario requiritur in illis, qui verum scripturæ sensum eruere cupiunt: jungatur oportet *ars Critica*. sine qua parum proficiemus in linguarum cognitione. Est enim, ut CLERICI verbis ex *Præf. Artis Crit. Sect. III. §. 5.* utamur, inter præcipuos Criticæ fines, *ut probe intelligamus quid unaquæque vox significet, & quænam sit cum singulorum commatum & periodorum, tum totorum librorum sententia; hoc est, efficere ut cum legimus scriptorem quempiam, id ipsum cogitemus, quod dum scriberet ille cogitabat, quantum quidem id ex verbis ejus conjici potest &c.* Fuit tamen olim tempus, quo non aliqui tantum necessaria harum rerum cognitione caruerunt, ac proinde non optime semper rem suam gesserunt; sed fuerunt integra secula, quibus in toto Occidente necessaria hæc subsidia ignorabantur, iisque temporibus, quam misera fuerit Theologiæ facies, adeo manifestum est, ut probatione non egeat.

§. XIIII. De *Logomachiis Eruditorum* eruditum librum conscripsit SAM. WERENFELSIUS, qui, si hic sobrie conferetur, pluribus declarabit, Logomachias esse causas corruptæ Theologiæ. Prævidit, arbitror, Apostolus, pruritus disputandi invasurum esse Ecclesiam, hinc Timotheum *1. Ep. II, 4.* & simul omnes Christianos *abscedere jubet ab iis, qui insanirent circa quæstiones ac pugnas de verbis, ex quibus nasceretur invidia, lis, maledicentia, suspiciones male, & experientia* probavit, hæc omnia verissime esse dicta. Nonnulli tamen adeo disputationi omnem impenderunt operam, ut præ illa studium scripturæ negligenter, & illud tantum in Theologia adamarent, quod disputationi subjaceret, cui Scholasti-

ci inprimis se totos dederunt. Sed postquam ex ipsis Apostoli verbis malos Logamachiarum effectus demonstravimus, ulteriore probatione superfedere licebit.

§. XIX. *Malas etiam artes & fraudes* in disputando adhibuerunt, qui rationibus vincere non poterant, ut invidiam conflarent veritati, idque consecuti sunt, ut Corruptores Theologiæ dici mereantur. Catalogum harum artium dabimus ex Diff. CLERICI de *argumento Theologico ab invidia ducto*. Affert autem ille sequentes. I. Sententia, quæ oppugnatur, male explicatur. II. Nominibus invidiosis infamatur. III. Cum invidiosorum hominum dogmatibus conferatur. IV. Exaggeratur momentum quæstiones. V. Invisi redduntur boni, quod vocibus nonnullis a Theologis inventis uti nolint. VI. Studiose occultantur rationes, quibus refutanda sententia nititur. VII. Tacentur incommoda, quibus premitur sententia defendenda. VIII. Prætermittuntur ea, quæ invidiam amoliri possent. IX. Invidiosa consecutaria deducuntur ex sententia eorum, qui oppugnantur. X. Malignis suspicionibus premuntur. XI. Novitas illis objicitur quasi crimen. XII. Consensu hominum potentiorum opprimuntur. XIII. Miscentur in disceptationibus, quæ cum iis habentur, multa quæ ad rem nihil faciunt, sed quæ invidiæ creandæ apta sunt. XIV. In deteriorem partem accipiuntur Indifferentia. XV. Provocatio fit a peritis iudicibus ad imperitos. XVI. Adversarii denique quasi immorigeri Magistratibus infamantur.

§. XX. Agmen nunc claudat *Papatus*, sub quo corruptio suum quondam attigit fastigium, & in quo adhuc error de veritate triumphat. Duo autem potissimum capita sunt, in quibus Theologia inter Pontificios corrupta est. Sunt enim Hæretici in *doctrina*, & Idololatri in *culis*. Ad prius quod attinet, satis superque a Protestantibus demonstrati sunt nefandi errores, quos fovent in Articulis de Justificatione, de Ecclesia, de Sacramento, de peccato, de penitentia, item de Votis, de purgatorio, de celibatu Clericorum, de
Papa,


Papa, de Processionibus & infinitis aliis. Quoad posterius dicimus esse Pontificios Idololatricos in *Cultu*, non tam, quia magnam partem Ceremoniarum a Paganis mutuati sunt, sed tam propter Missam, quam quia honorem invocationis, soli DEO debitum, aliis etiam deferunt, ut Angelis & sanctis, coluntque reliquias & imagines. Sed hæc, & multa alia apud omnes, qui veritatem amant, in confesso sunt, ut pluribus id demonstrare nihil attineat.

§. XXI. Atque sic finem nunc imponimus huic disquisitioni, quam institueramus de causis corruptæ Theologiæ. Plura dici potuisse de nobilissimo hoc argumento non diffitemur, sed instituti ratio plura non permittit. Concludimus itaque cum voto, ut DEUS ipse misereatur suæ Ecclesiæ, omnesque corruptiones, quæ veritati divinæ contrariantur, tollat atque disjiciat. Ei soli sit laus & gloria in secula seculorum! Amen!




Papa de Procurementibus & iudicibus suis. Quod postquam
 dicitur esse Pontificatus iudicium in Ceteris, non tam quis
 magnum curam & sollicitudinem a Regibus mutari iussit sed
 tam proprie Maxima, quae quibus honorum inventionibus, tot
 DEO debent, illis etiam debent, in Angelis & sanctis,
 constantibus reliquis & amicis. Sed hoc, & multa alia
 quae omnes, qui veritatem amant, in consilio suo, ut pri-
 vatus id demonstrare nihil stant.

§. XX. Adque sic haec sunt inopinate hinc de qua
 fiont, quam invidiam de causis corruptis & theologis
 Plus dicit passim de nobilissimo hoc argumento non dicitur
 tant, sed in tantis ratio plus non gerunt. Concluduntur
 itaque cum voto, ut DEUS ipse miseretur hoc Ecclesiam,
 emendare corruptiones, quae veritas dicitur committitur,
 tollat aequa dignitas, in tota in tantis & gratia in seculis
 laetentur! Amen!



Kenffel, Disquisitio theologica



CORRUPTÆ THEOLOGIÆ.

conficitur. Quod Scriptura de Deo ejusque natura
ne interpretati erant Veteres, ex Aristotele vero Schola-
estio multi interpretantur, & ut præterita secula pro libri-
agnarunt scriptis, anathe matibus, legibus, edictis, quasi
divinis: inveniuntur forte olim, qui pro Cartesiano-
sic loquar, quasi pro aris & focis, decertent. Imo vero
in perspicacissimi hujus seculi luce, qui invidiam facere
er iis, qui Apostolos ex Cartesio interpretari nolunt, &
quasi negarent dogmata, quorum Cartesianas interpre-

V. De Doctoribus Scholasticis & Corrupta per eos
nanarumque rerum scientia integrum librum
AM TRIBBECHOVIUS, ita ut non opus sit
bare. Non possum tamen quin hic apponam
ULIN in Tr. de la paix de l' ame liv. 2. Chap. XIIIX,
s qui n' ont guerres d' eclat, & encore moins de prix.
par leur mine severe passent pour sages & serieuses:
bie Scholastique, qui par trois ou quatre cens ans a regné
& qui a traité la Theologie à sa mode. Car com-
ques eussent voulu outrepasser les Soldats de Pilate,
tête de nôtre Seigneur une couronne d'epines, ils ont
Chretienne d'epines depuis les pieds jusqu'a la tête,
si epaisses, qu'eux même ont bien de la peine à voir
Leurs esprits ressemblent aux Labyrinthes, qui ont
ours & de traverses en fort peu de terre. Car le-
les là etant confiné dans un bien petit espace, ces
& irrefragables, (comme ils s'appellent l'un l'autre)
de langue, & cependant etant ardents d'aller, ne fai-
er, & que tracasser dans leur limites etroits, &
is leurs chemins. Il n'est pas croyable combien il y a
en toute cette masse de subtilité epineuse. Facile
modi cumulare, sed unum sufficere potest.

VI. Studium Allegoriarum multum etiam ob-
ognitioni veritatum Theologicarum, & non
Religioni. Fuit enim olim tempus, quo Al-
H 2 lego-